Codex Juris Bohemici.

Tomi IV. pars 5:

Scripta jurisconsultorum saeculi XVI.

Auspiciis

I. R. Ministerii cultus ac publicae instructionis

edidit

Hermenegildus Jireček.

Pragae.

Apud Fried. Tempsky, bibliopolam.

1883.

Typis C. Gorischkianis, Vindobonae.

Saeculo XVI. in Bohemia duo codices magni nominis sunt confecti: Regni Constitutiones a. 1549 et iterum a. 1564 (nostrae collectionis tomi IV. pars 1.) et Jus Municipale (nostrae collectionis tomi IV. pars. 3). Volumine, quod nunc lecturis tradimus, complectuntur scripta Jurisconsultorum ejusdem saeculi, quae sunt:

Processus juris municipalis Pragensis. Auctore Vito Ophthalmio Straconiceno 1585 (pag. 1—88).

Vitus Ophthalmius anno circiter 1550 Straconicii antiqua Bohemiae urbe natus nomine paterno Okáč appellatus esse videtur. In academiis peregrinis omni artium et doctrinarum genere eruditus et a. 1575 in universitate Vindobonensi baccalaureatum artium liberalium adeptus, Pragam se contulit. Pragae a. 1576 socius facultatis artium liberalium adscriptus in Veteri Urbe Pragensi scholae ad s. Aegidium rector praefuit. Illo tempore quum aliorum tum praeprimis Pauli Christiani a Koldin, qui „Jus municipale regni Bohemiae“ conscripserat, familiaritate usus est. Anno 1579 in Nova Urbe Pragensi sedem stabilem et domicilium collocavit et quod erat civis locupletissimus, compluribus urbanis muneribus administratis tandem judex imperatorius (1590) et ejusdem urbis praeses seu primas est nominatus (1594).

Juris Bohemici peritus erat ita ut consuleretur quum „Jus municipale“ a Koldino in codicem digestum cum Regni Constitutionibus conferrentur; ad dirimendas quoque de possessionibus terminisque lites frequenter arbiter vocabatur.

Nominis nobilitas diplomate Rudolphi II. a. 1591 ei tributa est; cognomen „Ab Oskořín“ gerebat communiter cum mag. Trojano Nigello et cum cive Pragensi Ioanne Hruška, viris sibi amicitia junctis.

Mortuum esse putamus a. 1597—98, quo tempore Praga gravi pestilentia conflictabatur.

Libellum illum qui „Processus“ inscribitur, edidit a. 1585, „Jure Municipali regni Bohemiae“ et „Constitutionibus Regni“ materiam suppeditantibus. Libellus hic praeprimis usui discentium erat aptus et iis refellendis opportunus, qui tunc temporis laudibus juris Bohemici obtrectabant. In lumen editus est primum ex officina typographica mag. Danieli. a Veleslavina, iterum Jenae a. 1608.

Rarissimum editionis Pragensis exemplar, ut denuo typis exscribendum curaremus, ab Antonio Rybička Vindobonae nobis est commodatum. Bohemicae consuetudini tradidit Ophthalmii librum 1607 Georgius Bydžovský civis et notarius urbis Juveno. Boleslaviensis, cujus exemplum manuscriptum nuper inventum in bibliotheca Musei Bohemici Pragae asservatur, habetque hoc proprium, quod interpres locos ex Jure Municipali et ex Regni Constitutionibus integros adfert, quae in Ophthalmii opere solummodo commemorantur (Cf. Additamenta et variationes ex versione „Processus“ boemica, pag. 89—97).

Extrakt hlavnějších a přednějších artikulův z Práv Saských anebo Magdeburských (1571). Srovnání Práv Pražských s Právy Magdeburskými (pag. 98—147).

Jus Municipale in Bohemia et Moravia quasi e duobus est propagatum capitibus, quorum alterum erat jus Saxonicum seu Magdeburgense a semptemtrionalibus Bohemiae et Moraviae oppidis receptum, idque in Bohemia praesertim Litomericii, in Moravia Olomucii; alterum autem jus Suevicum, quo utebantur oppida in meridionalibus partibus sita, ex quo numero erant Bruna et Urbs Vetus Pragensis. — Ad haec duo juris municipalis genera accessit genus tertium, quod erat domesticae originis atque ipsum illud quod mag. Koldinus excellentissimo codice suo complexus est.

Koldini codex a. 1569 scriptus pro lege propositus erat, qua Bohemicae civitates tenerentur omnes, illis etiam inclusis, quae jure utebantur Magdeburgensi. At hae civitates, praeeunte

Litomericeno scabinorum collegio, codicem Koldinianum recipere recusabant, quod jus Magdeburgense et jus Koldinianum inter se differrent multis magnisque rebus. Quas differentias perscriptas cives Litomericenses Maximiliano I. imp. tradiderunt hac inscriptione: „Extrakt hlavnějších a přednějších artikulův z Práv Saských anebo Magdeburských". At Pragenses quum statum quaestionis libello „Srovnání Práv Pražských s právy Magdeburskými" luculenter explanassent, causam obtinuerunt, Koldinique „Jus Municipale" ab Ordinibus regni a. 1579 publice approbatum est.

Jakuba Menšíka z Menšteina O Mezech, hranicech, saudu a rozepří mezní i příslušenství jich v království českém (1600) (pag. 148—218).

Jacobus Menšík, in urbe Prachaticio natus, annos ineuntis adolescentiae apud dominum Guilielmum de Rosenberg transegit. A. 1577 in ordinem equestrem receptus, a. 1584 factus est notarius judicii burgraviatus Pragensis; a. 1586 nominatus est praefectus Minoris Urbis Pragensis, quo tempore nactus est possessionem vicorum Mokropsy et Vonoklasy prope Pragam sitorum. A. 1593 in praefectura arcis Pragensis munus quoddam gerebat. A. 1593 factus est vicejudex regni Bohemiae, quam dignitatem usque ad a. 1601 tenuit.

Illo tempore scripsit libellum „de limitibus et terminis nec non de judicio limitari in Bohemia", cujus contextus a comitiis a. 1600 est comprobatus et pro juris norma designatus.

A. 1601 ad munus consiliarii et procuratoris regii est promotus, simul inde ab a. 1603 munere burgravii arcis Pragensis fungebatur. A. 1613 a publicis negotiis se removit. Obiit a. 1636 nulla liberorum stirpe relicta. Bona sua legavit ecclesiis, scholis, aliisque institutis saluti publicae providentibus.

Judicii limitaris consuetudines Menšík jam tum quum notarius judicio burgraviatus additus esset, didicisse videtur; nam judicium hoc ad supremum burgraviatum spectabat. Tum quoque regestis judicii limitaris continua lectione pernoscendis operam dedit, quorum etiam testimonio frequenter utitur:

I. Stará Červená Registra Mezní neb Veypovědní = Staré Cervené: A. 1 = 1508, C. 15 = 1511, B. 15 = 1512.

II. Stará Registra Mezní: A. 5 = 1526, A. 7 = 1529, A. 11 = 1532, A. 14 = 1529, A. 17 = 1534, B. 6 = 1538, D. 8 = 1553, E. 11 = 1563.

III. Nové Veypovědní Mezní: E. 15 = 1589.

Liber in officina Vetero-Pragensi heredum Ioannis Šuman a. 1600 editus est, habetque in pag. I. effigiem judicii limitaris xylographicam et in extrema pagina autoris insigne.

Simeona Podolského z Podolí Knižka o měrách zemských v království českém 1617 (pag. 219—234).

Vergente saeculo XVII. Samuel Globičius de Bučín, regni Bohemiae geometra, quum comperisset exstare librum manuscriptum Simeonis Podolský de mensuris in regno Bohemiae usitatis, quem Bohemus quidam exul bello tricenario in Misniam secum abstulerat, rem ad summum terrae gubernatorem detulit, commemorans, in renovatis Regni Constitutionibus G. 27 funiculi publici et mensurarum fieri mentionem, sed quonam modo iis utendum esset, non doceri; simulque rogans, ut illum libellum foras dare sibi liceret.

Simeon Podolský a Podolí civis Pragensis, natus esse videtur Pragae, ubi in Nova Urbe domum habebat dictam Ramhof. Metiendi artem didicit apud geometram publicum, Matthaeum Ornys de Lindperk, cui jam puer tredecim annorum erat traditus; eo autem mortuo munus geometrae publici ad ipsum est translatum. Qui quum nec in Terrae Tabulis nec in Constitutionibus Regni quidquam firmum de mensuris publicis esse perscriptum videret, ab Ordinibus regni petiit ut hac de re aliquid sciscerent edicerentque. A. 1615 quum ei datum esset negotium, ut pro sua artis et rerum scientia commentarium de mensuris conficeret, libellum a. 1617 conscripsit, qui tamen propter turbulentissima illius aetatis tempora manuscriptus remansit.

Liber tandem, Globičio procurante, a. 1683 in lucem editus est Pragae apud Georgium Černoch; dein iterum a. 1828 Reginaehradecii cura Josefi Devoty. A. 1705 Andreas Bernardus Klauser

in libello suo: „Ausführliche Beschreibung der Landmasz des Königreichs Böheimb“ (Sulzbach), de libro Globičii, recte Podolskii, mentionem fecit.

Ex Pauli Stranskii opere: „De republica Bojema“ caput XII—XVI. 1633 (pag. 235—272).

Paulus Stranský natus est a. 1583 in vico Zapy prope Pragam, unde nomini suo verba „ze Zapské Stránky“ adscribere solebat. Litteris operam dedit in universitate Pragensi. Ibi postquam a. 1607 ad gradum magistri artium liberalium est promotus, Litomericii primo in scholis docuit, dein notarius civitatis factus, tandem a. 1614 in senatum allectus et simul aerarii regii in urbe et in regione vicina quaestor est nominatus.

Eorum qui se fratres Bohemicos appellabant, sectae erat studiosissimus, Ferdinandi II. autem imp. etiam post proelium Albomontanum adversarius acerrimus, ita ut etiam per manipulum militum domi suae collocatum in ordinem cogeretur. Tandem a. 1627 solum vertere coactus, peregre primo Pernae, dein Dresdae, Lipsiae et aliis in urbibus Germaniae habitavit, denique Thorunii ad Vistulam domicilium constituit.

„Patria extorris“ circa a. 1633 confecit librum „De republica Bojema“, qui a. 1634 iterumque a. 1643 Lugduni Batavorum ex celeberrima officina Elzeviriana in lucem prodiit.

Hoc libro Stranský apud homines illius aetatis doctissimos magnum nomen est adeptus, ita ut Thorunii a. 1647 professor et rector gymnasii factus, denique etiam in numerum civium ibidem adeptus esset.

Bona, quae Litomericii satis ampla reliquerat, direpta sunt et dissipata.

E vita excessit Thorunii a. 1657, posteaquam per decennium civis probissimi muneribus est perfunctus.

„Respublica Bojema“ typis iterum exscripta est a. 1713 Amsterodami, nec non apud Goldastium in „Commentario de regni Boemiae incorporatarumque provinciarum juribus et privilegiis“ 1719.

In germanicum convertit eum notisque illustravit anno 1792—1803 professor Pragenus Cornova.

Index capitum „Reipublicae Bojemae“ hic est: I. De situ qualitatibusque Bojemiae. II. De Bojemiae districtibus, oppidisque et locis potioribus. III. De statu B. IV. De incolis B. et eorum moribus. V. De regimine politico in B. VI. De religionis mutationibus et regimine ecclesiastico in B. VII. De provinciis coronae unitis. VIII. De principibus regibusque B. IX. De principibus reginisque B. X. De regnum B. liberis. XI. *De Ordinibus regni B.* XII. *De Bojemorum legibus* (deest in editione a. 1634). XIII. *De Bojemorum comitiis.* XIV. *De muneribus seu officiis publicis in B.* XV. *De consilio seu consistorio regio.* XVI. *De tribunalibus juri dicundo in B. constitutis.* XVII. De opulentia et potentia regni B. XVIII. De re nummaria et computandi ratione. XIX. De regiis reditibus. XX. De regum apud Bojemos funeralibus (deest in editione a. 1634).

Eodem saeculo (a. 1562) confecta est versio boemica Justiniani „Institutionum“, quam in lucem edidimus Pragae a. 1867.

Processus

Juris Municipalis Pragensis,

per

inclytum Bohemiae regnum hoc tempore usitatus et cum Jure Provinciali ac Civili Romano, quoad ejus fieri potuit, collatus.

Autore

Vito Ophthalmio Strakoniceno,

Novae Urbis Pragensis cive et ibidem in decemviratu notario.

M . D . XXC . V.

1

Seneca 105. epist.

Securitatis magna portio est, nihil inique facere.

Seneca ad Paulinum „De brevitate vitae.“

Vita ad consummationem maximarum rerum satis large nobis data est, si tota bene collocaretur. Sed ubi per luxum ac negligentiam defluit, ubi nulli bonae rei impenditur, ultima demum necessitate cogente, quam ire non intelleximus, transisse sentimus. Non accepimus brevem vitam, sed fecimus; nec inopes ejus, sed prodigi sumus. Vita itaque, si scias uti, longa est.

Si modo pauper eges, ne plus egeas, lege leges;
Grandia lucra leges, fertilis illa seges.
Baldus equo vehitur, vehiturque Avicenna quadrigis;
Solus Aristoteles cogitur ire pedes.

Sapientibus, amplissimis, circumspectis et praestantibus viris, qui Pragae triurbi et per augustissimum Boemiae regnum status civilis dignitate, immunitatibus et privilegiis celeberrimis fruantur, dominis et amicis suis cum observantia honorandis:

Salutem et omne bonum.

Quantum societatis humanae praesidium, quantum decus et emolumentum sint leges, ex eo maxime apparet, quod Justinianus Imperator per illas et divinas et humanas res bene disponi ac omnem iniquitatem, natura jubente, penitus expelli affirmat. Haec enim priusquam eam primi homines offuscarunt, et honestatem vitae, nulliusque laesionem et aequam ac competentem cuique isonomiam sine ullis scriptis legibus dictare solebat; ita ut haud immerito dixerit Paulus Tharsensis, vas illud electum, gentes quae legem, videlicet scriptam, non habent, naturaliter ea quae legis sunt, facere, ipsasque sibi leges esse, opus legis ostendentes scriptum in cordibus ipsarum.

Non solum autem ex jure naturae, verum et iam ab ipso Deo immortali, glorioso et a nihilo in infinitum elongato, judiciorum ordo procedit. Nam is cognoscens de lapsu nostrorum parentum primum judicium in paradiso, servata omni solennitate juris, peregit. Quis n. inficiabitur, citationem verbis his „Adam, ubi es“ praemissam? accusationem „arboris vetitae fructum comedisti“ institutam? probationem „quia scis te nudum esse“ factam? litem per modum excipiendi „mulier de ligno interdicto praebuit“ contestatam? et tandem justissimam sententiam, qua Adam, Eva et serpens condemnati sunt, legitimo et debito ordine esse latam?

Hujus rei plurima ex sacris exempla adferri possent, nisi clarum, apertum et notorium, ut dicitur, esset, quod Deus, misertus generis humani, plurimos post lapsum Adae, et praecipue Moysen, divino spiritu afflaverit, qui relictam juris scintillulam exsuscitarent et nos paulatim, jure hoc reddito, ex beluina illa caecitate, quam primi parentes nobis pepererunt, ex parte in integrum restituerent. Ac profecto juris scripti, cujus Deus et natura, ut dictum est, primarii sunt autores, inventores et perfectores, tanta est necessitas, út nulla vitae pars, neque publicis neque privatis, neque forensibus neque domesticis in rebus, neque si tecum agar quid, neque si cum altero contrahas, legibus vacare possit. Sed ne multis obtundam, ad mei instituti rationem descendo.

Cogitanti mihi, hoc praesertim funesto et fatali tempore, (in quo „Dat carmen stramen, dat quoque Musa famem"), de Bohemia, patria mea dulcissima, cui et vivo et vivens omne acceptum refero, videtur in ea tantisper mansura mediocris forma reipublicae, donec florebunt antiquarum legum nostrarum studia et earum voce judicia curiaeque regentur. Ideo pro felici earum conservatione hoc Enchiridion, quod Processum Juris Municipalis Pragensis appellari placuit, latino sermone conscribere et typis mandare volui: non ut ingenium meum ostentarem, aut laudem aliquam inde venarer, sed ut amorem meum erga patriam et leges domesticas exponerem, et bono alicui fideli ac perito jureconsulto ad aliquam laude dignam Juris Bohemici oeconomiam edendam occasionem darem, eaque ratione rempublicam nostram cum aliis pro virili juvarem.

Etenim si non vernacula, sed romana in conscribendo hoc Juris Processu utor lingua, me ipsum cum iis qui fructuose in scholis versantur, exerceo, et ad agnoscendarum legum non quidem exoticarum, verum domesticarum ichnographian, more architectorum, deduco. Ea enim ratione judico, per haec legum prima incunabula universum jus nostrum etiam inter juventutem scolasticam propagari, remque publicam nostram aliquando reflorescere posse, dum ex scholis, quae sunt seminaria reipublicae, viri docti et prudentes prodibunt, qui legum nostrarum cognitione,

linguis et artibus honestis instructi, causas in foro defendendas suscipiant, et mechanicos viros ac Thersitas, quorum imperitia ut publicam ita et privatam commoditatem affligit, ad munia vocationis suae cum multa utilitate repellant.

Praetereae per hanc linguam tanquam notiorem pluribus innotescet iniquitas calumniantium gentem Bohemam, inprimis vero Antonii Coccii Sabellici et Johannis Aubani Teutobohemi, qui praeter id quod Bohemos varie reprehendunt, et jam sycophantica injuria adversus nostras leges et consuetudines, quod sint barbarae, feroces, inhumanae et ab omni ratione ac aequitate alienae, indignissime invehuntur. Horum omnium contrarietatem testabitur Juris Communis autoritas, quae de omnibus civilibus officiis, de hereditatibus, contractibus et judiciis ita praecipit, ut nusquam a natura, nusquam a ratione discedere videatur, et quam ego in hoc opusculo quantum fieri potuit, allegavi. Unde candidus lector facile poterit agnoscere, leges nostras a Jure Communi parum aut nihil diferre, praesertim ex notabilibus, quae et textui nostro inserta et margini illius sunt addita; nisi forte alicubi diversitas vel publicam vel privatorum utilitatem concernat, vel odium negligentis et malefici hominis respiciat.

Tales igitur obtrectatores, sine dubio, visis his nostris conticescent, ubi animadverterint, se non leges gentis Bohemae, verum Juris Communis dignitatem, quam nos imitamur, quaque forsitan et ipsi nituntur, calumniatos esse, jura honesta iniquitatem et consuetudines laude dignas barbariem beluinam appellantes.

Vobis autem, sapientes, amplissimi, praestantes et circumspecti viri, qui Pragae triurbi et per augustissimum Bohemiae regnum status civilis dignitate, immunitatibus et privilegiis jure fruimini, opusculum hoc prae caeteris dedicare visum est. Nam Processus hic ac Jura quae in eo continentur, et vestra sunt et vestrum forum respiciunt. Et quod vobis defensoribus, laborem hunc meum ab omni calumniantium iniquitate tutiorem fore, mihi persuadeam.

Sit licet exiguum, quod nunc pro tempore dono,
Si fortuna volet, poterit supplere, quod opto.

Quod restat, Filium Dei ardentibus votis oro, ut civitates vestras et scholas, quae sunt seminaria ecclesiae et rerumpublicarum, diu salvas et incolumes servare, spiritu suo consilia vestra regere ac felices successus circa administrationem publici boni donare dignetur, ut si non centesimum, saltem quinquagesimum Deo nostro sancto et glorioso fructum adferre valeatis. Amen.

His me vobis reverenter commendo.

Ex aedibus meis in Nova Urbe Pragensi, in die Catharinae anno 1585.

Vitus Ophthalmius Strakonicenus.

Processus

Juris Municipalis Pragensis per inclytum Bohemiae regnum hoc tempore usitatus et cum Jure Provinciali ac Civili Romano, quoad ejus fieri potuit, collatus.

De judicio et personis in eo legitime comparentibus.

Titulus I.

Cum ea, quae in controversiam veniunt, plerumque judicio decidantur, haud immerito a titulo judicii praesens opusculum auspicamur.

Est enim judicium decidendorum, quod dicitur, μετρον ἄριστον, mensura optima, et inde appellatur medium inter actorem et reum.

Verum ut definiendo procedamus, judicium nihil aliud esse dicimus, quam actum legitimum trium personarum, judicis, actoris et rei, super civili vel criminali causa contendentium. *(Vide Jus Municaple Pragense sub lit. B. 87. dist. 2.)*

Judex contendit, ut veritatem inquirat; actor contendit, ut reus sibi condemnetur; reus vero contendit, ut absolvatur. *(30. q. 5. c. judicantem et 4. q. 4. c. 1.)*

Judex dicitur vir bonus, disceptandae rei causa datus. (De cujus officio vide *Jus Prag. a lit. A. 4. usque ad A. 40.)* Ubi inter caetera haec potissimum in judice requiruntur:

I. Ut consuli, quem nos magistrum civium appellamus, cum reverentia obsequatur *(A. 4 et 5.)*

II. Ut arcana sub poena capitis caelet. *(Jus Prag. sub lit. A. 8 et Const. Regni sub lit. B. 28.)*

III. Ut fidejussionem contra rempublicam nemini praestet. *(A. 13.)*

IV. Ut δωροδοκίαν uti justitiae pestem fugiat. *(A. 11.)*

V. Ut actiones et exceptioones partium attentus audiat. *(A. 14.)*

VI. Ut nullam obligationem in rempublicam absque tribunorum sive seniorum juratorum plebis assensu inducat. *(A. 21.)*

VII. Ut viduas et pupillos clientum loco habeat et in facultatibus eorum fidelem ac paternam curam praestet. *(A. 29, C. 58 et D. 21.)*

VIII. Ut ἀγορανομίαν fideliter administret. *(A. 31 et in seq. usque ad A. 35.)*

IX. Ut secundum allegata et probata pronunciet, ab actis non recedendo. *(A. 39. Dist. 1.)*

Justinianus Imp. inquit: „Optamus ergo, ut omnes judices nostri, secundum voluntatem et timorem Dei et nostram electionem, sic suas administrationes gubernare studeant, ut nullus eorum aut cupiditati sit deditus, aut violentias aliquas vel ipse inferat vel judicibus aut officiis eorum aut quibuscunque aliis collateralibus inferre permittat." Et paulo post: „Ergo jubemus violentias et omnem avaritiam cessare et justiciam atque veritatem circa nostros tributarios servari. Sic enim et Deus placatur, et ipsi possunt celerius relevari ac florere." (Cum his consonat et nostrum *Jus Prag. sub lit. A. 35.)*

Actor est is, qui ad judicium provocavit *(A. 44. Dist. 1.)*. In eo requiruntur:

I. Ut judicem competentem adeat, eumque de citando reo compellet. *(A. 45. Dist. 1.)*

II. Libellum accusatorium secundum fori consuetudinem contra reum coram judice edat. *(A. 45. Dist. 3.)*

III. Ut deductis legitimis probationibus judicis sententiae sese subjiciat et sententiam pro se ferri petat. Judex enim nonnisi imploratus officium suum impertitur.

De Jure Canonico et Caesareo quatuor (sic) sunt actoris officia: I. Ut cum amicis et jurisperitis consulat et deliberet, an sibi agere expediat, vel non. *(3. q. 8. c. Si aut. et L. Si avia, C. de ing. manumissione.)* II. Ut videat, num probare possit, quod intendit *(2. q. 8. c. si aut etc. L. eum qui ff. de judiciis)* IV. Ut praemoneat amice eum, contra quem intendit agere *(L. debitores, C. de pignoribus)*.

Reus dicitur is, cum quo agitur. *(A. 44. Dist. 2.)*

(Nonius Marcellus reos dici vult, non solum crimini obnoxios, sed et voti ac promissi debitores. Cicero 2. *de orat.* Reos appello, inquit, non eos modo qui arguantur, verum omnes, quorum de re disceptatur. Reus ergo dicitur a re, non a reatu.)

In reo desideratur, ut primo aut secundo citatus compareat et libello contra se instituto vel statim vel post datas sibi ad deliberandum inducias, respondeat. *(A. 45. Dist. 4.)* Nam excipiendo reus fit actor, et exceptionem suam probare tenetur. *(L. in exceptionibus ff. de prob.)*

Exceptione et jure suo probato, similiter uti actor, judici sese submittat, quia ambo aequalis debent esse conditionis.

Et cum contrariorum eadem sit juris dispositio, eadem disciplina, non debet reo licere, quod actori licitum non est, et e contra. *(A. 44. Dist. 3.)*

Jure Communi duplex est reus: Aut necessarius, qui ex certa obligatione pro se in jus deducitur et accusatur, aut voluntarius, qui non pro se, sed pro suo interesse vel reipublicae emolumento sese judicio immiscet. *(Abb. Felin. et Innoc. in c. cum inter. de except.)*

Has tres personas, de quibus nunc diximus in judiciis intervenire, est de illorum essentia. *(Vide Jus Prag. B. 87. Dist. 2.)*

Quod vero et aliae personae, ut sunt testes, auditores, advocati, procuratores et id genus, in judiciis multoties existunt, id non est de judiciorum substantiali esse, sed quandoque necessitatem, quandoque utilitatem partium concernit.

Est autem judicium aliud ordinarium, aliud extraordinarium. *(A. 41, A. 43.)*

Ordinarium dicitur, in quo sunt ea, quae in legitima causarum cognitione ex constitutionibus imperatorum et consuetudine cujusque fori observari solent, ut sunt citatio, libelli oblatio, satisdatio, litis contestatio, dilationum assignatio, juramentum, testium et instrumentorum productio, et id genus alia, de quibus in hoc Processu.

Hujusmodi ordinarium judicium quoad statum oppidanorum et in metropolitana urbe Pragensi agentium, est triplex:

I. Senatorium, cui praesidet consul cum XVII senatoribus fide dignis, praesente aliquando capitaneo et judice caesareo. (De horum legibus vide *A. 4.)*

II. Decemvirale, a numero judicum sic appellatum, in quo praecipue deciduntur controversiae emergentes occasione debitorum.

III. Sexvirale seu aedilitium. Est autem aedilium officium, non solum operam dare, ne in civitate ruinosae domus vel inordinate dispositae fiant, sed etiam, ut bonis soli publici diligenter praesint. *(De his vide Jus Prag. K. 19. Dist. 2 et in seqq.)*

Quoad status superiores in hoc inclyto regno judicium ordinarium est quintuplex:

I. Provinciale maius, cui praeest supremus regni judex, cum baronibus quatuordecim et octo nobilibus. *(Vide Const. regni sub lit. A. 35.)*

II. Provinciale minus, cui praesidet vicejudex regni, cum quinque nobilibus personis. *(In Const. L. 60.)*

III. Curiae, cui praesidet supremus curiae regni judex, cum baronibus et nobilium numero ad minimum denario. *(In Const. A. 35, M. 36.)*

IV. Camerae, cui praesidet supremus curiae magister, cum baronibus et nobilibus ad minimum duodecim. *(In Const. O. 5.)*

V. Burgraviatus, cui praesidet burgravius Pragensis ad minimum cum sex personis nobilibus. *(In Const. O. 19.)*

Versus, qui indicant, quando haec judicia celebrantur:

Post Cineres decimo, sexto post Pneuma, supremus
Judex jus dicit, Remigiique die.
Quarta Quasi ex damnis vocat in jus jure citatum,
Proxima Marg. et Lin., Fabianique sacris.
Provocat ad lites lux proxima Bartolomaeo,
Martino, Paulo, Relliquiisque sacris.
Tertia post Paulum, Martinum, Bartolomaeum,
In jus post Pascha lux quoque nona vocat.

Quodlibet horum judiciorum habet sua certa subjecta et attributa, in quibus judices intra metas praescriptas sese contineant necesse est *(De quibus vide cum Const. Regni, tum quoque Jus Municipale Pragense suis locis.)*

Extraordinarium judicium est, in quo recepta fori consuetudo non observatur, et ad quod judices sine juramento diversis ex locis accersuntur, vulgo hraničný saud nuncupatum. *(A. 43.)*

Extraordinarium judicium in Jure Communi multis ex causis sic dicitur: Primo, si fit coram judice delegato *(c. induciae 3. q. 3 & spatium, vers: Sic ei aut.)* Secundo, quando non proceditur in figura judicii, sed ex judicis officio per modum inquisitionis vel denunciationis *(c. superbis c. qualiter de accus.)* Tertio in causis electionis, postulationis et aliis. *(Et de hoc judicio vide Abb. in rubr. de judic. et Bar. in L. si maritus. §. sin. autem extraneus ff. ad legem Juliam de adult.)*

Causa efficiens judiciorum est Deus, qui de lapsu primorum parentum in paradiso primum judicium peregit, et legumlatores, qui modum ac formam judiciis praescripserunt.

Subjectum judiciorum est justitia et mens judicis recte judicantis.

Objectum sunt lites atque controversiae, quae in judiciis deciduntur.

Forma est modus atque processus, qui ex lege et cujuslibet fori consuetudine introductus observatur.

Finis est justa judicis sententia, qua suum cuique, κατά τὸ ἀντιπεπονθός, aequabiliter tribuitur.

Ut finem judiciorum assequamur, necesse est id per legis actionem et judicis officium, tanquam per causam juris universi efficientem, praestemus. Quae legis actio et judicis officium praecipue pertinet ad executionem rei judicatae. Res judicata pendet a sententia; sententia a judicio; judicium a litis contesta-

tione; contestatio ab actoris intentione et rei depulsione; intentio denique et depulsio seu potius actio et responsio ab obligatione (quae quasi mater est omnium actionum *B. 10, B. 11,* sive eae personam concernant, sive rem, sive factum, in quibus tribus materia juris versatur) originem suam traxerunt.

In processu ordinarii judicii apud nos requiritur: Primo, ut consul adeatur et citatio rei petatur. Deinde, ut reo comparente in judicio, libellus accusatorius edatur, ad quem ille potest vel statim vel post datas deliberandi inducias, respondere. Et tandem judex interloquitur, et actor suam intentionem probat et adversarii exceptiones replicando elidit, donec in causa concludatur. Et si forte post latam interlocutoriam vel definitivam judicis sententiam, pars aliqua se gravatam sentit, poterit intra XIV dies ad superiorem judicem, deposita tamen prius pecunia, quae loco mulctae temerariae provocationis deponi solet, provocare. Quo facto, intra sex hebdomadas literas dimissorias sive apostolos petat, appellationem suam justificet et cum actis ac actitatis judici appellationem offerri procuret. (Haec omnia ex sequenti tabula plenius cognoscere licebit.)

Tabula continens divisionem actuum judiciariorum.

- Actus judiciarii coincidunt, vel
  - ante sententiam, et aut sunt
    - praeparatorii, ut
      - judicis aditio
      - citatio
      - comparitio
      - contumacia
      - libelli oblatio
      - procurotorum missio
      - dilatio
      - satisdatio
      - responsio et exceptio
    - principales, ut
      - litis contestatio
      - probatio, de qua versa pag. sig ⊙
      - conclusio in causa
      - consultatio judicum
      - sententia
  - post sententiam, ut sunt
    - provocatio ad superiorem judicem, quando sententia non acceptatur;
    - executio rei judicatae, quando sententia aut / arrestum
      - acceptatur
      - appellationis praesidio confirmatur.
    - expensarum refusio

⊙ Probationes in judiciis fiunt aut per

- ἄτεχνα, pro cujusque fori consuetudine. Probatur nempe factum aut per
  - evidentiam facti
  - confessionem
  - testes
  - instrumenta
  - successiones ab intestato
  - praesumptiones
  - delationem juramenti
  - transactiones etc.
- ἔντεχνα, quando destituti legitimis probationibus ad conjecturas ex arte acquisitas confugimus. Et hae constant ex signis τῶν εἰκοτῶν, non ex signis τῶν τεκμήριῶ, ex quibus sunt probationes facti.

Nota. Hi actus ostendunt, quo modo sit procedendum ad litem, et quibus modis ictus adversariorum perimi possint.

De judicis aditione.

Titulus II.

Processurus judicialiter adversus aliquem, inprimis judicem competentem adeat et coram eo, quîcum litigare velit, declaret, eumque in jus vocari petat. Omnium enim actionum instituendarum principium ab ea parte edicti proficiscitur, qua praetor edicit de in jus vocando. Quae vocatio fieri non potest, nisi judex competens prius adeatur. *(A. 45. Dist. 1.)*

Competens autem judex dicitur, sub cujus territorio (id est jurisdictione) reus domicilium habet, in quo eum conveniri oportet. Namque ordo requirit, ut actor forum rei sequatur. *(Vid. Jus Prag. A. 44. Dist. 4. — Jus Prov. C. 21.)*

Excipiuntur quinque casus, in quibus actor forum rei non sequitur:

I. Ratione emphyteuseos; ubi enim reus domum, praedium vel emphyteutica bona habet, ibi quoque conveniri potest. *(A. 44. Dist. 4 ad finem, et A. 47, B. 3. — Jus Prov. X. 2. 3, 4, et sqq.)*

II. Ratione contractus, quia ubi quis contrahit, ibidem etiam arrestari et conveniri potest. *(L. 19. et 26. – Jus Prov. S 3)*

III Ratione fugae; nam si reus suum judicem fugit et divagatur, ubique locorum convenitur. (In quo casu locum habent rescripta imperatorum, quae vulgo literae patentes appellantur.)

IV. Ratione delicti; ubi enim delinquitur, ibi etiam punitur, praecique vero si forensis (id est extraneus) delinquit *(N. 43.)*; verum incola delinquens Constitutioni Carolinae subjacet. *(N. 39. N. 40. — Jus Prov. A. 6. A. 7. K. 34.)*

V. Ratione consensus; nam si reus in non suum judicem consenserit, coram eo quoque conveniri potest. Quilibet enim

conventionibus sponte consentientibus tenetur stare, juxta illud: Pacta conventu rata sunto, ut docet *Jus Prag. sub lit. A. 41, Dist. 4.*

Causa efficiens aditionem est obligatio et mora rei in satisfaciendo facta.
Subjectum est consilium et deliberatio adeundi.
Objectum est persona judicis.
Forma est, ut judex recte et praemeditato adeatur.
Finis est, ut mandato judicis reus in judicium vocetur.

De citatione.

Titulus III.

Citatio, quae dicitur quoddam substantiale et praeparatorium judicii, nihil aliud est, quam rei ad judicem vocatio. Et sine hac processus judicii ipso jure est nullus. *(Vide Jus Prag. A. 45.)*

Modus autem citandi in foro Pragensi, consuetudine introductus, talis est:

Ipsa citatio apud consulem ad petitionem citantis in librum publicum, quem nos Manuale appellamus, inscribetur. Ex quo postea fit transsumptum cum omnibus circumstantiis et datur ministro publico, quem vulgo consuli amanuensem vel fratrem juratum dicimus; is citando domi suae, jussu consulis, denuntiat, a quo et ad quem judicem sit citatus, quandoque in judicio sese sistere debeat. *(B. 6. Dist. 1. & 2.)*

Citandus, si domi fuerit repertus, sine mora die et hora citationi praefixa comparere et actionem contra se audire tenetur. *(A. 45. Dist. 2.)*

Sed si ad primam citationem non comparuerit, de consuetudine adversus eum altera citatio procedit, cui jam nisi pareat, cyppo forensi ad comparendum in foro compellitur. *(A. 45. Dist. 6.)*

Nisi forse legitimis causis impeditus fuerit; namque tunc in judicio quoqunque modo juste se excusat, et alterum terminum ad comparendum sibi assignari licite petit. *(B. 6. Dist. 2.)*

Verum citandus, si domi inventus non fuerit et spes sit eum illo die domi futurum: tunc citatio per amanuensem domui ipsius affigi vel inscribi et de ea uxor vel familia illius certiorari potest. *(B. 6. Dist. 1. — Jus Prov. C. 3.)*

Idem etiam servatur in citatione testium, pro deponendis testimoniis, quae fieri consuevit per chartas dissectas *(B. 6. Dist. 1.)*

Quatuor sunt legalia impedimenta, quae citatum a citatione et poena contumaciae relevant:

I. Captivitas; capti enim ab hostibus merito excusantur, quia legitime impediuntur, et si reversi fuerint, postliminium

habent, id est perinde eis omnia restituuntur jura, ac si capti ab hostibus non fuissent.

II. Tempestas et vis fluminis; namque his impeditis subvenire aequissimum est.

III. Absentia et avocatio reipublicae causa; nemini enim absentia reipublicae causa debet esse damnosa.

IV. Aegritudo et infirmitas corporis.

De his quatuor impedimentis tractatur *sub lit. A. 50 et in Jure Prov. C. 44, D. 35.*

Causa efficiens citationem sunt actor, consul et ejus amanuensis sive nuntius juratus.

Subjectum est judicium.

Objectum est persona citanda.

Forma est inscriptio et annunciatio.

Finis est, ut citandus in judicio compareat, et libello accusatorio audito vel recepto, si quas habet, exceptiones legitime opponat.

Effectus citationis est, quod faciat initium processus judicialis et inducat litis pendentiam.

De comparitione.

Titulus IV.

Comparitio in foro dicitur personae citatae coram judice praesentatio. *(A. 45. Dist. 1. & 2.)*

Ea fit in civilibus vel per se, vel per procuratorem cum mandato sufficienti. *(Jus Prag. sub lit. F. 41, Dist. 1. 2. 3. Jus Prov. sub lit. B. 44, C. 38. ad finem.)*

In criminalibus vero, quando de vita, fama, et etiam si de hereditate agitur, reus personaliter comparere tenetur. *(A. 58. Dist. 2 et in Jure Prov. C. 48 in fine.)*

Causa efficiens comparitionem est autoritas judicis et metus poenae contumacis.

Subjectum est voluntas citati prona ad obtemperandum judici.

Objectum est judex et locus, ubi redditur justitia.

Forma est, quando reus humiliter cum reverentia coram judice sistitur.

Finis est, ut causa citationis in judicio definiatur.

De contumacia.

Titulus V.

Saepe contingit, ut legitime citati, ad contemptum magistratus sui, in judicium non veniant et sint inobedientes; id in jure dicitur contumacia, quae judici venit punienda amissione causae. *(Jus Prag. A. 49. Dist. 1. etc. Const. Prov. B. 44 in fine.)* Nisi fortassis morbo, captivitate, tempestate aut reipublicae causa

citatus fuerit praepeditus. *(Vide Jus Prag. A. 50 et Prov. C. 44. D. 35.)*

Causa efficiens contumaciam est perversa malitia citati.
Subjectum est ipse citatus contumax.
Objectum est judicium, a quo contumaciter se absentat citatus.
Forma est modus, ex quo contumax in sua contumacia procedit.
Finis est, quod contumax vel causa cadit vel in expensas condemnatur.

Tabula, quot modis contumax de jure dicatur et quomodo puniatur.

Contumacia tribus modis dicitur:

- 1. Minus proprie, ut si quis non comparet, vel ob
  - captivitatem
  - tempestatem
  - infirmitatem
  - avocationem reipublicae causa
  - Vide Jus Prag. A. 50 Dist. 1. et Jus Prov. C. 44 et D. 35. In his casibus contumax nihil de causa sua amittit, sit qualiscunque terminus dilatorius.
- 2. Magis proprie (Vide signum ♄)
- 3. Maxime proprie, ut quis se evidenter rebellem alicui foro declarat, ut sunt violatores juris, **odbojníci práwa**. (D. 38 Dist. 2. N. 17.)

♄
Magis proprie contumacia dicitur, quando quis, dum potest, non comparet, aut

- post alteram citationem; tum si est
  - actor, citationem suam amittit. (A. 48.)
  - reus, isque aut
    - incola, tum cyppo forensi ad comparendum compellitur (A. 45. Dist. 6.)
    - extraneus, quem causa citationis latere non potuit, tum succumbit in causa, actore victoriam obtinente. (A. 48.)
- in termino sibi ante litis contestationem ad respondendum concesso. (A. 45. Dist. 7. B. 5.)
- in termino aliquo post litis contestationem probationibus praefixo. (A. 49.)
  - In utroque casu pars contumax succumbit in causa et parti adversae in expensas condemnatur. Jura nempe actori et reo aequalia esse debent.
- post alteram citationem, ut expeditam appellationem audiat. In eo casu si sententia facit pro contumace, tunc sibi adjudicata amittit. (C. 10. Dist. 3.)
- ad mandatum judicis pensionem intra 14 dies emptae domus non solvit. Hoc casu contumax totam summam prius a se pro domo numeratam cum arrha amittit. (G. 3. H. 1. Tale mandatum in Jure Saxonico guarentigia appellatur. Lib. 1. art. 69).

De libello accusatorio.

Titulus VI.

Quia reo comparente libellus accusatorius pro fori consuetudine adversus ipsum editur *(A. 45. Dist. 3.)*, ideoque post contumaciam citati non comparentis, visum fuit de libello accusatorio hic pauca subjicere.

Dicitur autem libellus accusatorius brevis et ordinata scriptura, claram continens et judici et parti demonstrans intentionem agentis vel accusantis. *(B. 9.)*

De Jure Communi duplex est libellus: Unus accusatorius, qui inscriptio nuncupatur; alter conventionalis seu postulatorius, qui in civilibus causis instituitur; et primo propter actorem, ut jus suum in eo coram judice declaret; deinde propter reum, ut ex eo instrui possit, an liti cedere vel contendere velit; tertio offertur propter judicem, ut sententiam libello conformem ferre queat. *(B. 87. Dist. 1.)*

Efficiens causa libelli est ipse actor, vel orator, aut causidicus vel ferendarius.

Subjectum est obligatio, qua aliquid debetur.

Objectum est persona, res et factum, quod in eo deducitur.

Forma sunt solennitates, quae in eo requiruntur. Et sunt de Jure Communi duplices: Intrinsecae, ut narratio facti, causa petendi, conclusio seu petitio, quae sunt de substantia libelli; et extrinsecae, ut nomen judicis, actoris et rei etc., quae sunt tantum ad bene esse libelli, et hisee versibus continentur:

Quis, quid, coram quo, quo jure petatur et a quo:
recte compositus quisque libellus habet.

Finis libelli est, ut judex et reus ex eo de jure actoris instruantur.

Tales libelli in foro nostro non in scriptis, sed oretenus institui consueverunt, dum actor intentionem suam per verba congrua declarat, implorando super justitia administranda judicis judicium; in hunc fere modum, quando ad rei vindicationem quis intendit *(A. 4. Dist. 3.)*:

Prudentissime dom. consul, vosque caeteri senatores amplissimi! Coram vobis Titius proponit adversus Sempronium et quamcunque personam pro eo legitime in judicio comparentem, quod indebite et injuste teneat ac possideat fundum suum, fundo Lucii (in tali vel tali loco) adhaerentem. Qui quidem fundus ad supradictum Titium justo titulo, nempe hereditatis, pertinet. Quum autem toties monitus fundum dictum praesens Sempronius Titio restitutere recuset, idque in damnum illius haud modicum; ideo per vestram sententiam definitivam declarari petit Titius, fundum nominatum ad se pertinere, Semproniumque juris remidiis ad restituendum talem fundum compelli. In his

finali justitiae V. P. sese submittit. Et si huic petitioni Sempronius contradicere voluerit, tunc petit Titius sibi terminum pro consuetudine fori ad probandum statui, se certis instrumentis declaraturum (aut alio modo probaturum), praedictum fundum hereditario jure ad se pertinere etc.

Forma actionis quasi- Servianae: Aequissimi judices! Coram vobis agit et proponit Titius adversus Sempronium, quod ex causa mutui, sine ulla usurarum conventione, mutuaverit sibi 100, quae promiserat se ei restituturum circa Natale Domini anni praesentis, et quidem in numerata pecunia, sub obligatione omnium bonorum, quemadmodum et publico instrumento per notarium vestrum confecto id satis constat. Quia autem neque pecuniam mutuo acceptam, neque bona Titio expresse hypothecata nominatus Sempronius restituit, ideo petit per Vestram sententiam finitivam pronunciari et declarari, bona Sempronii praesentis jure pignoris et hypothecae sibi esse obligata, eumque condemnari ad relaxationem dictorum bonorum. Et si huic petitioni contradicere Sempronius voluerit, promittit se publico instrumento, ubi terminus pro consuetudine fori ad probandum statutus fuerit, declaraturum, bona Sempronii jure pignoris et hypothecae Titio esse obligata.

Libelli accusatorii sunt vel

- utiles, in quibus omnia adsunt requisita, ut
  - nomen
    - judicis
    - actoris
    - rei
  - narratio facti
  - causa petendi
- inutiles, in quibus aut
  - aliud accusatur, et alius probatur (B. 14. Jus Prov. C. 15.)
  - plura substantialia seu attributa, et quidem diversi generis, continentur (B. 15. Jus Prov. C. 17.)
  - judicium causae non definitae alio transfertur (B. 17. Jus Prov. C. 18.)
  - forum rei actor non sequitur (Jus Prov. C. 19, C. 20, C. 21.)
  - non omnes personae, quarum quid aut respectu societatis aut hereditatis interest, exprimuntur (B. 18. 19., Jus Prov. C. 27, 28, 30, 31, 33, 35, 36.)
  - convenitur ex eo, quod transactione erat componendum (B. 20. Jus Prov. C. 41.)
  - nihil certi et aperti concluditur (B. 22.)

De procuratoribus et mandatariis.

Titulus VII.

Quando partes non volunt vel non possunt rebus suis interesse, per procuratores agere vel conveniri possunt.

Est autem procurator (de quo hic loquimur) vir bonus, qui alienam litem mandato domini ex certa mercede judicialiter administrat *(B. 24. Dist. 1.)*

De Jure Communi alius est procurator rerum, alius litium; hic procurator ad litem, ille negotiorum gestor appellatur. Nos vero ipsum dicimus quandoque mandatarium, quandoque negotiorum praepositum, qui de jure nostro sine spe mercedis ex mera charitatis affectione judicio intervenire debet *(I. 49. Dist. 1. I. 52. Dist. 2.)*

Et admittitur in omnibus causis, exceptis illis quatuor, de quibus supra in Tit. de comparitione diximus, in quibus reus personaliter comparere tenetur. *(A. 58. Dist. 2. Jus prov. C. 48. in fine.)*

In causis civilibus quilibet potest uti procuratoribus, sed non in criminalibus. Nam si interveniret procurator, duo inde sequerentur inconventia: Primum, quod persona puniretur, quae non deliquisset, secundo, quod amissum non posset consequi per actionem mandati contrariam, sicuti in civilibus. Idque de Jure Caesareo.

Inolevit consuetudo in foro nostro, ut procuratoris appellatione et advocatus seu causidicus contineatur.

Advocatus dicitur, qui quoquo studio operatur, et is de Jure Communi salarium suum licite petit, quia dignus est operarius mercede sua. Unde et judex in honorariis advocatorum ita versari debet, ut pro modo litis proque advocati facundia et fori consuetudine et judicii, in quo erat acturus, aestimationem adhibeat, dummodo licitum honorarium quantitas non egrediatur.

De mercede procuratoris jura nostra statuunt, ne ex causa pecuniaria, ascendente ad centum sexagenas grossorum, plus quam duas sexagenas cum dimidia tertiae habeat *(B. 33. Dist. 1. Jus prov. U. 4.)*, et ex causa ascendente ad mille sexagenas gross. non plus quam 25 sex. gr. accipiat *(B. 33. Dist. 2. Jus prov. U. 4.)*. In criminalibus, quando agitur de delictis et praejudicio famae, praeter 5 sex. gr. nihil ei numeretur *(B. 33. Dist. 4.)*; sed de Jure Prov. hoc casu potest procurator obtinere 10 sex. gr. *(Vide in Jure Prov. U. 4.)*

In causis autem aliis, ut sunt injuriarum, violentiae, vulneris illati et similium, procurator habebit 2 sex. gr., si clientes sunt divites; si vero sunt pauperes, secundum judicis taxationem minus accipit *(B. 33. Dist. 5.)*

De Jure Provinciali procuratori pro actione injuriarum persolvitur una sex. gr. et pro actione servitutis interdictae dimidia sex gr. dicta *lit. U. 4.)*

Hic quoque notandum est edictum praetoris adversus eos, qui pro aliis postulare prohibentur. Quod edictum a praetore proponitur habendae rationis suaeque dignitatis tuendae et decoris sui causa, ne sine delectu passim apud se postularetur. Et excipit in eo sexum atque casum: Sexum, dum foeminas prohibet pro aliis postulare; et est ratio prohibendi, ne contra pudicitiam sexui congruentem, alienis causis se immisceant, et ne virilibus officiis fungantur mulieres; (origo vero introducta est a Carfania, alii Alphurnia, improbissima foemina, quae inverecunde postulans et magistratum inquietans, causam dedit edicto). Castum, dum coecum, utrisque luminibus orbatum, et alios (de quibus in lege allegata) praetor repellit.

Causa efficiens procuratorem est principalis persona, quae eum constituit.
Subjectum est mandatum procuratorium et obligatio in eo contenta.
Objectum est res sive persona, in judicio defendenda.
Forma est, ut ad lucrum et damnum partis constituatur (B. 35. Jus Prov. C. 48).
Finis est, ut per procuratorem constituentis partes non minus ac si ipse adesset, in judicio defendantur.

Officium advocati consistit in
- cognitione causae, in qua consideratur, aut
  - facti species, ut de facto causae sibi bene constet. Saepe enim levi variatione facti totum jus mutari potest.
  - num cliens de probando facto sufficientes probationes habeat. Parum enim expedit habere jus, dum deficit probatio juris.
  - ut cum peritioribus de causa consulat. Quod enim a pluribus quaeritur, id facilius invenitur.
- tractatione causae, in qua caveat advocatus,
  - ne quid inconsiderate proferat, quo adversarius juvetur.
  - ne vituperium potius quam laudem mereatur.
  - ne aliquid suae causae contrarium alleget. Quod enim vitio advocati et non vitio causae obvenit, pro eo advocatus tenetur (B. 31, 34. Jus Prov. U. 7.)

De dilationibus seu induciis, ad deliberandum vel probandum partibus dandis.

Titulus VIII.

Quia libello recepto datur dilatio ad deliberandum, ideo recte hinc de dilationibus videndum est.

Sunt autem dilationes induciae, quae partibus in judicio vel pro responsione deliberanda vel testimoniis adducendis conceduntur.

Si enim reus comparens in judicio animadverit, sibi opus esse accurata deliberatione pro respondendo: tunc petere potest aliquam dilationem; quae in urbe metropolitana Prag. ad triduum, in aliis vero civitatibus ad quatuordecim dies dari consuevit *(A. 45. Dist. 4.)*

Similiter lite contestata partibus terminus quatuordecim dierum ad probanda jura sua praefigitur, quo elapso datur secundus et tandem tertius, qui dicitur peremptorius, ita ut hi tres termini sex integras hebdomadas complectantur. Quibus praeterlapsis partes oportet causae suae probationes expeditas habere, ut publicentur et in causa concludatur *(A. 54. Dist. 1. B. 44.)*

Unde apparet duplicem in foro nostro usurpari dilationem: Unam pro responsione deliberanda, alteram pro testimoniis producendis.

Hic observari peropus videtur, quod elapso termino peremptorio alius non concedatur, nisi forte pars nondum habens expeditas probationes, legitima impedimenta, praestito juramento calumniae, quod nullam fraudem machinetur in partem adversam, afferat. Tunc enim causa cognita ex beneficio juris adhuc unus terminus, et non plures, pro utilitate atque necessitate partium arbitrio judicis conceditur *(A. 54. Dist. 2.)*

Induciae probatoriae hodie de Jure Canonico et Civili sunt arbitrariae, in judicis arbitrio repositae, pro qualitate causae et personarum ac loci distantia. Et si sunt praeterlapsae, amplius quis non auditur, quod terminus probationis sit peremptorius, et sic exclusivus.

Causa efficiens dilationem est instantia partium et judicis impertitio.
Subjectum est tempus responsioni vel probationi praefixum.
Objectum est expeditio testimoniorum.
Forma est, quod causa cognita a judice pro tribunali sedente impertitur.
Finis est, ut partes sufficiens tempus ad deliberandum et expedienda testimonia habeant, et tandem de jure suo legitime probent.

De satisdationibus.

Titulus IX.

Nonnunquam ante litis contestationem partes postulant sibi pro eo, quod petitur, idonee caveri; ergo hic de satisdationibus subjicitur.

Satisdatio autem eodem appellata est modo, quo satisfactio. Nam ut satisfacere dicimur ei, cujus desiderium implemus:

ita satisdare dicimur adversario nostro, qui pro eo quod a nobis petiit, ita cavit, ut eum hoc nomine securum faciamus, datis fidejussoribus.

Est autem satisdatio securitatis redditio, quae fit per idoneos fidejussores.

Idonei fidejussores sunt locupletes, non tantum ex facultatibus, sed etiam conveniendi facilitate.

Reus antequam respondeat actori, petere ab eo potest satisdationem de lite prosequenda et solvendis expensis, si causa cadat; quam nisi actor praestiterit, reus respondere non tenetur *(A. 56. Dist. 1 & 2. Jus Prov. B. 47.)*

Haec satisdatio de Jure Communi sublata, hodie non est in usu; sed reus tantum satisdat, quod velit expectare in judicio usque ad finem litis. Et si idoneos fidejussores dare non potest, statur ipsius juramento.

Si litigatores sunt cives Pragenses, satisdare non coguntur. Verum qui in causa succubuerint, sine excusatione et juris sui praerogativa condemnantur in expensas, testimoniis vel juramento victoris probatas et a judice taxatas. Quarum solutione si postea distulerint, arresto ad eam compelluntur *(A. 57.)*

Caeteri omnes, quicunque civitate Pragensi non gaudent, ad praedictam satisdationem obligantur *(A. 56.)*

Notetur, quod Judaeus pro Christiano hoc casu fidejussor existere nequeat, nisi uti Christianus velit respondere; quae lex lata dicitur ante excidium Hierosolymae; nam post illud tantam libertatem a Vespasiano nacti sunt, ut is lege lata constituerit: Si Judaeus a Christiano percuteretur, quasi Christianus percussus esset, judicaretur. (Quam Judaeorum libertatem Josephus a Vespasiano quod Titum filium ejus a paralysi curasset, impetrasse dicitur.)

Causa efficiens satisdationis est desiderium sive petitio partis unius, et alterius cautionis praestatio.

Subjectum sunt fidejussores, pignora, juramentum et similia, per quae aliqua securitas constitui potest.

Objectum sunt res litigiosae, expensae, damnum et interesse.

Forma est, quod ante litis contestationem in judicio solenni modo petitur.

Finis est, ut victor habeat, unde quae in litem impendit, cum eo quod petiit, recipiat.

De exceptionibus.

Titulus X.

Quoniam post praestitam supradictam cautionem reo studendum est, quanam ratione litis contestationem effugere possit: ideo intentionem actoris vel statim vel post inducias deliberatorias ope exceptionum excludet necessum est *(A. 45. Dist. 4.)*

Ex officio namque rei est, actori vel expresse vel per aliquam exceptionem respondere *(B. 12. Dist. 1. A. 45. Dist. 3.)*

Licet exceptio quoque dicatur responsio, non tamen per eam de Jure Communi introducitur litis contestatio. Sed quando reus contenta in libello vel affirmat, vel negat, lis dicitur contestata.

Exceptio nihil aliud est, quam actionis exclusio. Quia sicuti actiones sunt arma actorum, ita quoque exceptiones sunt arma reorum, ad excludendum id, quod in intentionem condemnationemve deductum est *(B. 12. Dist. 2.)*

Interdum evenit, ut exceptio, quae prima facie justa videtur, tamen inique noceat; quod cum accidit, alia allegatione opus est, adjuvandi actoris gratia, quae replicatio vocatur, quia per eam replicatur atque resolvitur jus exceptionis. Et si haec inique noceat reo, datur ei duplicatio, et actori triplicatio, ac interdum ulterius.

Quum reus excipiendo fiat actor, suam exceptionem probare tenetur, nisi mulctari velit decem sexagenis grossorum *(statuente sic statuto comitiali recepto in celebratis comitiis anno Domini 1575. B. 13.)*

Hoc statutum praecipue intelligitur de iis, qui suis exceptionibus non solum parti adversae, sed et judici per fraudem ac dolum negotia facessunt. (Fraus enim et dolus nemini debet patrocinari.) Ideo qui se legitima exceptione defendere nititur, non videtur in fraudem legis eam opponere.

Causa efficiens exceptionem est reus, qui eam ex dispositione legum opponit.

Subjectum est jus, reo adversus actorem ex pacto, transactione et similibus competens.

Objectum est intentio actoris, in libello accusatorio edita.

Forma est, ut ante litis contestationem judicialiter opponatur.

Finis est, ut lis in judicium deducta vel differatur, vel transferatur vel in totum perimatur.

Omnes exceptiones ex jure nostro ante litis contestationem apponuntur *(B. 12. Dist. 5.)*, licet de Jure Communi quaedam ante, quaedam post opponi possint.

Respondetur ad libellum vel

- affirmando, seu id quod in judicium deductum est, confitendo. In quo casu locus est condemnationi *(B. 36. Dist. 2)*
- negando, in quo casu actor probat; ei enim qui dicit, non qui negat, incumbit necessitas probandi *(B. 37. Dist. 1)*.
- excipiendo; et in hoc casu probatio incumbit reo. Sicuti enim actor probare tenetur suam intentionem, ita et reus suam exceptionem *(A. 53. B. 12. Dist. 3.)* Reus enim excipiendo fit actor.

Tabula, monstrans divisionem exceptionum.

Exceptiones, quae reorum arma dicuntur, sunt aut

- declinatoriae fori, veluti si quis
  - ad minus competentem judicem vocetur,
  - actor non habeat justam aetatem standi in judicio,
  - non rite pro consuetudine fori sit citatus.
- dilatoriae solutionis, ut si est pactum de non petento intra certum tempus.
- peremptoriae, quae factum deductum perimunt. Et sunt aut
  - facti, ut exceptio
    1. rei judicatae, quae renovari non potest (Q. 6. Jus Prov. D. 6.)
    2. transactionis; quod nempe legitima transactione est sopitum, id amplius resuscitati non debet (Q. 8. Jus Prov. D. 8.)
    3. litis finitae, quando jus praescriptione est amissum (A. 52, F. 21, Jus Prov. D. 37.)
  - juris, ut exceptio
    - metus causa; si quid nempe metus causa promissum aut factum est, illius nulla est obligatio.
    - doli mali; contractus nempe dolo malo inductus, ipso jure est nullus.
    - erroris, ut si puto me debere, quod non debeo.
    - non numeratae pecuniae, quam speravi te numeraturum.

De usucapione seu praescriptione.

Titulus XI.

Quia usucapio seu praescriptio principaliter ad jus excipiendi pertinet, et titulus de diversis et temporalibus praescriptionibus post reliquas exceptionum species in ff. subjungitur: igitur ordine sic requirente, absoluto exceptionum titulo, de usucapione seu praescriptione pauca hic inserere visum est.

Usucapio dicitur adjectio dominii per continuationem possessionis temporis lege definiti *(F. 28.)*; et appellationem habet ex eo, quod solo usu, hoc est, possessione res capiatur.

Usucapio introducta est bono publico, ne scilicet quarundarum rerum diu et fere semper incerta dominia essent, quum sufficeret dominis ad inquirendas res suas statuti temporis spatium. Et differt a praescriptione, quod illa sit rerum mobilium, haec vero immobilium, vel, quod illa sit acquisitio dominii per possessionem, legitimo tempore continuatum; haec vero sit

exceptio, quae ex temporis lapsu substantiam capit et actioni objicitur. Verum promiscue haec duo vocabula in jure, prout etiam in hoc Processu, accipiuntur.

Ad complendam usucapionem seu praescriptionem inter caetera praecipue concurrere debent: Continua possessio, justus titulus et bona fides. Id colligi facile potest ex *Jure nostro Pragensi sub litera F. 19, F. 21.*

Continua possessio dicitur non solum, quae penes unum et eundem est, verum etiam, quae ab uno ad alium legitime translata est, veluti a defuncto ad heredem, a venditore ad emptorem. Justi tituli species sunt: Pro soluto, pro emptore, pro herede, pro donato, pro derelicto, pro legato, pro dote. Bona fides est, quando possessor habet sinceram conscientiam, quae eum certo excusat de ignorantia rei alienae. Et hoc de Jure Caesareo in usucapione ab initio intervenire debet; et incidens mala fides non interrumpit usucapionem. Requisita ad usucapionem subsequentia declarant:

Non usucapies, nisi sint tibi talia quinque:
Justa fides, justus titulus, res non vitiosa,
Ut res tradatur, et tempore continuetur.

De Jure nostro usucapio in hic casibus praecipue non procedit:

I. In bonis ecclesiasticis, ut sunt templa, coemiteria, reditus, decimae, et id genus alia *(F. 38. Jus Prov. D. 42.)*

II. In rebus publicis, ut in praetorio, via, flumine, plateis, aquaeductibus et aliis *(F. 37.)*

III. In rebus fisci; contra Regiam enim Majestatem et ejus fiscum praescriptio non currit.

IV. In subditis et fundis per eos possessis, qui contra dominos directos nunquam praescribuntur *(Jus Prov. D. 47.)*

V. In domibus transitoriis seu servitute per eas eundi *(F. 37. Dist. 1.)*

VI. In dote pignorata aut hypothecata *(Jus Prov. D. 43.)*

VII. In bonis virginum, quae remanentes in alterius potestate tabulis regni aliquid assecuratum habent *(Jus Prov. D. 46.)*

Tempore belli et epidimiae seu pestis praescriptio quoque non procedit; eo enim tempore jura dicuntur silere *(Jus Prov. D. 40.)*

Si quis a non domino, quem dominum esse crediderat, fide bona fundum emerit, vel ex donatione, aliave qualibet justa causa et fide acceperit: is naturali ratione fructus, quos percepit, pro cultura et cura obtinebit. Ideo si postea dominus supervenerit et fundum vindicaverit, de fructibus perceptis agere non poterit *(H. 15.)*

Hoc non contingit illi, qui alienum fundum sciens possedit; is enim cum fundo etiam fructus, licet sint consumpti, restituere cogitur; quia malae fidei possessor nunquam praescribit, Hinc illud vulgare: Quod ab initio temporis non obstitit, id tractu temporis non convalescit *(F. 26, F. 27. H. 16.)*

Jure romano res mobiles triennio, immobiles inter praesentes (videlicet qui in eadem provincia domicilium habent) decennio, inter absentes vero vicennio usucapiebantur. Apud nos autem de Jure Prag. inter annum et diem, de Jure vero Provinciali triennio et octodecim hebdomadibus (excepto feudo, cujus investitura intra annum et diem quoque petitur. *M. 40)* usucapiuntur *(F. 21. Jus Prov. D. 37.)*. Et per diem in jure nostro intelliguntur sex hebdomades, quae adduntur anno integre emenso *(F. 23.)*

Exemplum usucapionis non admittendae habes sub lit. *F. 30.* Sit talis casus: Titius Seio hypotecavit domum suam. Is moritur et relinquit filiam Annam. Haec a filio Seii defuncti, puta Sempronio, post longum tempus, nempe viginti annos, deposito penes senatum debito, patris sui, videlicet Titii, domum repetit. Quaeritur, an Sempronius sit tutus et Annam exceptione praescriptionis repellat? Et respondetur, quod non; hypotheca enim apud nos nunquam praescribitur.

Simile exemplum vide sub litera *F. 31* et tale: Titius moritur relictis tribus liberis. Unus proficiscitur in militiam et alii duo dividunt inter se hereditatem paternam. Post triginta annos ille ex militia revertitur, et fratribus defunctis suam partem hereditatis, nempe tertiam, petit ab ipsorum uxoribus et liberis. Quaesitum est, an repellatur exceptione praescriptionis? et responsum, quod non, quia malae fidei possessor nunquam praescribit; atque ita ad tertiam partem hereditatis est admittendus.

Si coepisti contra aliquem jura agere, et postea annum et diem de Jure Prag. vel de Jure Prov. tres annos et 18 septimanas taceas: causam tuam amplius redintegrare non poteris *(A. 52. F. 22.)*

De Jure Provinciali usucapio procedit:

I. Si quis bona vacantia ad rescriptum regis Ladislai teneat *(Jus Prov. D. 38.)*

II. Si quis bona sua possederit tres integros annos et 18 septimanas ante conflagrationem tabularum regni Boemiae *(Jus Prov. D. 39.)*

III. Si de evictione intra tempus praescriptum eum cujus intererat evincere, aliquis non praemonuerit *(D. 44.)*

IV. Si quis sociorum suorum obligationi aut contractui scienter, inter annos praescriptionis, non contradixerit *(D. 45.)*

V. Si quis jus suum ex instrumentis obligatoriis a die solutioni praescripta intra triennium et 18 septimanas non prosequitur, tum instrumenta illa praescribentur *(O. 24.)*

Causa efficiens usucapionem seu praescriptionem est jus civile Romanum.

Subjectum est bonae fidei possesor, qui elapso justi temporis spatio, tam res corporales, quam incorporales, mobiles quam immobiles, quae tamen non sunt prohibitae, sibi ipse acquirere potest.

Objectum est res ipsa soli, vel non; item actio et servitus praescribenda.

Forma sunt requisita, de quibus diximus, ut continua possessio, bona fides, justus titulus, res praescriptibilis et traditio.

Causa finalis est publica utilitas, ne rerum dominia essent incerta et ut aliquando finis litium haberetur, quas non convenit esse immortales.

De litis contestatione.

Titulus XII.

Quia res in judicium deducta non videtur, si tantum postulatio simplex celebrata vel sola actionis species ante judicium reo sit cognita (inter litem enim contestatam et actionem permultum interest): ideo post praeparatoria judiciorum nunc de principalibus videndum est, et primum de litis contestatione, quae fit, quando directe ad libellum accusatorium affirmative vel negative respondetur.

Litis contestatio nihil aliud est, quam ejus rei, de qua controversia est, apud judicem ex utraque parte facta narratio *(A. 45. Dist. 5.)*

Quum accusatio et ad eam commode facta responsio litis primordium (quod est ejus contestatio) introducant, judex per hanc narrationem negotii causam audire incipit. Hinc liquido constat, quod citatio, comparitio etc., de quibus diximus, sint saltem praeparatoria litium in judicio definiendarum.

Causa efficiens litis contestationem est actor et reus.

Subjectum est narratio et contradictio partium in jure facta.

Objectum est ipsum jus partibus competens.

Forma est, ut fiat coram judice affirmative vel negative.

Finis est, ut habito litis initio, ulterius in causa procedatur, vel ad probandum contra negantem, vel ad condemnandum affirmantem.

Lis contestatur aut — proprie, idque bifariam:
- affirmative, quando reus deducta in libello confitetur, et actor ab omni probandi onere relevatur (B. 36. Dist. 2.)
- negative, dum reus libello reluctatur vel
  - explicite, quando respondet ad quodvis sigillatim et diserte; idque fit aut
    - pure seu simpliciter inficiando contra se allata,
    - cum conditione exceptionis praepositae.
  - implicite, quando dicit: Nego narrata, prout narrantur. Ejusmodi responsio nihil ligat.

- Lis contestatur aut
  - minus proprie, dum proponuntur exceptiones, aut
    - dilatoriae, ut sunt pacti, et non numerandae pecuniae intra certum tempus.
    - declinatoriae, ut si
      - actor justam aetatem non habeat; reus ad minus competentem judicem citetur.
      - consuetudo et processus juris non observetur.
    - peremptoriae, quae vel
      - actori obsunt, ut sunt exceptiones transactionis, rei judicatae et litis finitae.
      - agitationem causae perimunt, ut sunt exceptio praescriptionis et solutionis.

De probationibus.

Titulus XIII.

Quoniam lite negative contestata, ei qui dicit, non qui negat, probandi necessitas incumbit *(B. 37. Dist. 1):* itaque nunc de probationibus.

Est autem probatio rei dubiae per legitima documenta firma demonstratio *(B. 36. Dist. 1.)*

Actor, quod asseverat probare se non posse profitendo, reum necessitate monstrandi contrarium non astringit, quum per rerum naturam factum negantis probatio sit nulla. Hinc illud sub litera *B. 37. Dist. 2:* Actore non probante reus absolvitur, etiam si is nihil probaverit.

Probationis in foro nostro sex usurpantur species, de quibus sigillatim inferius.

De Jure Communi probatio aut est evidentissima, quae sit per privilegia et instrumenta indubitata; aut evidens et clara, quae sit per testes vel facti evidentiam; aut minus evidens, quae fit per conjecturas.

Illud probari debet, quod in judicium est deductum, quodque possit esse actori, ad causae victoriam, relevando ipsum *(B. 36. Dist. 3)*

Id rhetores κρινόμενον seu judicationem vocare consueverunt. Facta enim non praesumuntur, nisi probentur.

Causa efficiens probationem est jussus judicis et pars probans.

Subjectum sunt evidentia facti, testes, instrumenta, praesumptiones et id genus alia.

Objectum est negatio partis adversae.

Forma est consuetudo, quae in probando aliquid servatur.

Finis est, ut judici, cui probari debet, veritas causae pateat.

Deducta in forum probantur vel ex
- collatione
  - causarum in defensione; id vocant Graeci αἴτιον, causidici exceptionem, quam **reus** adfert pro defensione suae partis.
  - firmamenti in actione; id vocant **Graeci** συνέχον, causidici replicationem, qua **actor** pro confirmatione suae partis adversus exceptionem rei, utitur.
- pure facta negatione, quae imponit actori necessitatem probandi.

De probatione per evidentiam facti.

Titulus XIV.

Inter omnes probationes potissima est et plurimum virium habet pro negante convincendo ea, quae fit per evidentiam facti, dum factum ita notum est, ut negari nequeat.

Exemplum: Ut si fur manifestus cum re furtiva deprehensus vel homicida necare visus fuerit. Omnes ejusmodi actus manifesti, qui procedunt a visu, vocantur notorii. Hinc illud: Notorium non eget probatione. Et illud: Quod patet expresse, non est probare necesse. Itaque quicquid demonstratae rei additur, satis demonstratae, id frustra est. Quia non est opus verbis, ubi rerum testimonia adsunt.

Causa efficiens hanc probationem est actus manifestus, per visum, famam publicam et notoriam.

Subjectum est res vel factum perpetratum.

Objectum est negatio illius, quod quis fecit aut debet.

Forma est usus et consuetudo fori in probando servanda.

Finis est, ut evidenter victus condemnetur.

De probatione per confessionem.

Titulus XV.

Post evidentiam facti proxima probandi via est, quae fit per confessionem. Confessus enim pro judicato habetur, et quodammodo sua sententia condemnatur. Ideo in confitentes nullae supersunt partes judicis, nisi condemnatio *(B. 36. Dist. 2.)*

Confessio est proprium testimonium confitentis, et confessus de se super aliorum conscientiis interrogari non debet, et (excepto crimine laesa Majestatis) de reatu proprio confitentis. Periculosa confessio non est adversus quemlibet admittenda, nisi forte is fuerit de eo infamatus. *(S. 30.)*

Causa efficiens hanc probationem est pars allegans confessionem.

Subjectum est ipsa confessio alicujus rei vel facti.

Forma est, quando fit in judicio, dum ad libellum respondetur.

Finis est, ut confessus pro convicto habeatur et ad solvendum condemnetur.

De probatione per testes.

Titulus XVI.

Tertia probationum species est, quae fit per idoneos testes, qui regulariter producuntur et examinentur post litis contestationem *(B. 42. Dist. 1.)*

Idonei testes sunt illi secundum Imp., quorum fides non vacillat.

Si quis testes lite non contestata ad examen producit, mulctatur de Jure Prov. decem sexagenis grossorum *(Jus. Prov. P. 7.)*; de jure autem Pragensi quinque sexagenis grossorum *(B. 42. Dist. 2.)*

Sed si forte de morte testium timeatur, vel de absentia diuturna: in his casibus et similibus, ne veritas occultetur et probationis copia fortuitis casibus subtrahatur, senes valetudinarii et alii testes, de quibus ex notabili causa timetur, lite non contestata impune admittuntur, seu pars conventa sit contumax, seu absens absque malicia, quod conveniri non possit *(B. 42. Dist. 4. Jus Prov. P. 8.)*

Producturus testes imprimis consulem adeat, et testes a servo publico per chartas dissectas, quibus de loco, tempore, qualitate et aliis ferendi testimonii circumstantiis certiorari possint, legitime faciat citari *(B. 47.)*

Et si testes sunt peregrini, subditi, servi, viles et vagi, eosque in alio foro quam ubi lis vertitur, producere velit: oportet et partem adversam per chartam incisam citari, quo videat, qui testes contra se producantur. Si pars adversa non habeat residentiam in eo foro, in quo testes vis producere: tum septiduo ante, si vero ejusdem est fori, tum saltem biduo ante productionem testium pars adversa tibi est certioranda; alias depositio testium ipso jure est nulla *(B. 43. Dist. 1. Jus Prov. P. 15.)*

Facta praedicta citatione, pars adversa, sive veniat sive non, testes tamen recipi possunt, praesertim post horam tertiam solis splendentis *(B. 43. Dist. 2.)*

Jus Prag. cum Jure Prov. hoc casu in omnibus convenit, excepto eo, quod non mentionem faciat certiorationis partis adversae biduo ante testium productionem faciendae *(P. 15.)*

Quum rescripto Hadriani testibus et non testimoniis sit credendum, et autore Cornelio Tacito testimonia non absentes, nec per tabellam dare, sed coram et praesentes dicere cogantur, nec non testimoniorum usus, quod sit frequens ac necessarius, ab his praecipue exigendus, quorum fides non vacillat: jure tam Pontificio quam Caesareo cautum est, ut testes nonnisi jurati deponant *(B. 48. B. 50. Jus Prov. P. 3. P. 33. X. 26. in fine)*; nisi a parte adversa juramentum remittatur *(B. 41. Dist. 3.)*

Consuetudo jurandi apud nos talis est: Persona subdita seu serva flexis genibus et impositis prioribus digitis manus dextrae signo crucis Christi jurat *(Jus Prov. X. 28. et X. 31. in fine.)*

Persona libera et quae civitatis jure utitur, stando sublatis duobus digitis Deum testans jurat *(I. 34. Jus. Prov. X. 28. et X. 31.)*

Formulam jurandi vide *B. 52. Jus Prov. P. 33. et P. 34.*

Quisque autem jurare debet juxta illud Hieremiae cap. 4: Et jurabunt (inquit): vivit Dominus; in veritate, hoc est, secundum conscientiam id, quod verum est; in judicio, hoc est cum deliberatione; ideo furiosi jurare non permittuntur; et in justitia, videlicet id quod honestum et justum videbitur. Si enim jurans hos tres juramenti sui comites non habuerit, in poenam perjurii, quae est capitalis *(ut videre licet B. 75. Dist. 1.)*, incidit.

Si sunt plures testes, omnes jusjurandum simul subeunt et postea sigillatim, cum ea diligentia quae solet ac debet in receptione testium adhiberi, per notarium, in praesentia duorum juratorum (uti in proxima synodo publicata die S. Felicis anni praesentis 1585 statutum est) in secreto examinantur *(Jus Prov. X. 28.)*. Prius tamen deponebant testes in solius notarii praesentia *(B. 53. Dist. 1.)*

Notarii praecipuum munus est, ut testium depositiones competenti ordine conscribat, loca designando et tempora et personas; ac nihil nisi ipsissima testium formalia fideliter annotet *(B. 53. Dist. 3.)*

De Jure Communi solent fieri interrogatoria, super quibus testes de circumstantiis, ne locus sit fraudi, examinantur. Illa licet jure nostro notariis hactenus sint prohibita, solisque judicibus ordinariis, quoties necessitas exigit, licita *(Jus Prov. P. 32.)*: tamen supradicto synodo universaliter videntur esse concessa. Sunt autem inventa, primo propter deprehensionem falsitatis, deinde ad instructionem judicis sive recipientis testes.

Si contingat, ut citati pro ferendo testimonio post primam citationem non compareant, tunc si cives non sunt, cyppo forensi *(B. 45.)*; si vero sunt cives et secundo citati non deponunt, mulcta iis indicta per chartam incisam, ad testandum compelluntur *(B[illegible] Dist. 4.[illegible]rov. P. 9.)*

[illegible] est pars, testes producens.
[illegible]nes, quae veritate nituntur, et ipsae [illegible]
[illegible]antis.
[illegible]testationem, jurati et sigillatim in secreto, publicis [illegible]nt.
[illegible]tionem [illegible] causae judici innotescat.
[illegible]clarat.

Testes esse non possunt:

- impubes, ut masculus 18 et foemina 15 annis minor.
- mentis inops.
- mulier in testamentis.
- quibus producens imperare potest, ut
  - servi
  - liberi non emancipati
  - conjuges subditi.
  - (De his vide B. 61 in Jure Prag.)
- infamis
- suspecti aut propter
  - amicitiam
  - inimicitiam
  - captationem lucri
  - societatem criminis.

De probatione per instrumenta.

Titulus XVII.

Quarta probationis species est, quae sumitur ex conventionibus scriptis, ex testimoniis vel aliis scripturis, quae proprie instrumenta vocantur. Hoc nomine ea omnia sunt accipienda, quibus causa instrui potest, et ideo tam testimonia quam personae instrumentorum loco habentur.

Instrumenta sunt duplicia, publica et privata: Publica dicuntur, quibus de jure vel consuetudine plena fides praestatur, ut primo, si sunt scripta manu notarii, vel in judicio, vel extra judicium; secundo, si scriptura sigillo publico magistratus sit sigillata; tertio, si instrumentum judicis autoritate est publicatum; quarto, si scriptura habet scribentis et testium subscriptionem; quinto, quando scriptura extrahitur de archivo publico, quod in communi usu appellatur Cancellaria communis ant Rationaria communis.

Privata dicuntur illae scripturae, quas unus quisque a se ipso scribit, et haec in jure appellantur aut chirographa, aut literae sive epistolae, de quibus per tabulam subjectam.

Causa efficiens hanc probationem est pars edens instrumenta.

Subjectum sunt conventiones, pacta vel obligationes, quae in instrumentis continentur.

Objectum sunt negationes partis, contra quam producuntur instrumenta.

Forma est cujusque fori consuetudo, quae in fienda hac probatione servatur.

Finis est, ut per hanc probationem negativa partis adversae diluatur et judex ut veritatem causae percipiat.

Tabula, monstrans instrumentorum genera.

Instrumenta sunt aut	publica, quae fidem publicam merentur, ut sunt tabulae	instrumentorum donationum, mandatorum, privilegiorum, actorum judicialium — huc	originale seu matrix, inde copiae desumuntur. copia seu transsumptum seu Vidimus. protocollum seu imbreviatura notarii, in qua acta notari solent.
	privata, quae sola contrahentium voluntate nituntur, ut	apochae seu quietantiae, quae dantur debitoribus de receptis creditis. antipochae seu cheirographa, quibus debitores se obligant creditoribus, confitendo se illis debere. codices rationum, seu regesta mercatorum seu opificum, in quibus quantitas mercedum referri solet epistolae, quae absens absenti mittit.	Haec si sunt manu contrahentis scripta, plene probant; si non, saltem praesumunt.

De testamentis.

Titulus XVIII.

Quia frequentior est usus testamentorum et eorum instrumenta crebrius apud nos judicialiter oppugnantur: itaque pauca de iis tanquam per digressionem hic annectendum censui.

Testamentum nihil aliud est, quam voluntatis nostrae justa sententia de eo, quid quis post mortem suam fieri velit. Dictum quasi testatio mentis. *(D. 42. Dist. 1 et 2.)*

Quilibet non prohibitus pro sua voluntate potest condere testamentum. Et Imperator inquit: Si quis dolo malo fecerit, ut testes non veniant, et per hoc defficiatur facultas testamenti faciendi, denegandae sunt ei actiones, qui dolo fecit, sive legitimus heres sit, sive priore testamento scriptus. Fratris autem factum fratri non nocet. Et alibi: Eos, qui ne testamentum ordinetur, impedimento fuisse monstrantur, velut indignas personas a successionis compendio removeri, celeberrimi est juris.

Estque duplex: Solenne seu scriptum *(D. 43. Dist. 2.)*, et nuncupativum *(D. 45.)*, prout videre est ex sequente tabula.

Huc pertinent donationes mortis causa, legata, fidei commissa, codicilli seu minus solemnia testamenta, de quibus vide *Jus Prag. D. 56 et 57, E. 52, F. 4.*

Causa efficiens testamenti est testator in eo disponens. Rustici tamen, et qui subditorum loco habentur, sine permissu sui hereditarii domini, vel ii, qui in alterius potestate sunt constituti, testari non possunt *(E. 2.)*

Subjectum est voluntas testatoris et heres in ea constitutus.

Objectum sunt bona relicta.

Forma sunt requisita et solennitates debitae.

Finis, ne post mortem testatoris de bonis ejus inter amicos lites suboriantur.

Tabula continens testamentorum divisionem.

Testamentum est vel	solenne seu scriptum, quod fit mediante scriptura, in praesentia duorum juratorum et notarii (E. 1.)	Utrumque fidem meretur, si	certus heres in eo instituatur (D. 53. Dist. 1.)
	nuncupativum, quando testator testibus ad se accersitis voluntatem suam coram illis sine scriptura nuncupat (D. 45.)		voluntas testatoris fuerit perspicua, sine omni ambiguitate (D. 53. Dist. 2.)
			testamentum secundum fori nostri consuetudinem publicetur (D. 53. Dist. 3.)

De impugnatione testamentorum.

Titulus XIX.

Testamentum jure factum usque eo valet, donec officio judicis infirmetur; quod fit ad instantiam juste id oppugnantis, si legitimas causas annullandi testamenti in judicium deduxerit. *(E. 42.)*

Infirmatur testamentum vel officio judicis, quoties querela inofficiosi testamenti proponitur, vel ipso jure, quando aut rumpitur, aut irritum fit. Quod intellige de testamento perfecto; nam testamentum imperfectum, in quo deest aliqua juris solennitas, ab initio non subsistit.

Contradicturus alicui testamento, necesse est, ut intra sex hebdomadas post illius publicationem consessui senatorio, per ingressum legitimum, suam oppugnationem aut impetitionem denunciet et publicati testamenti copiam vel transsumtum petat *(E. 43. Dist. 1 et 2.)* Deinde intra 14 dies causas annullandi testamenti adversus heredes ad id citatos judicialiter proponat. Ad quas heredes vel in continenti vel post terminum dilatorium, qui illis ad integras duas septimanas pro deducendis reprobationibus suis conceditur, respondere tenentur *(E. 43. Dist. 3.)* Imo nec oppugnanti parti, si causarum suarum assertiones aeque expeditas non habuerit, talis terminus dilatorius denegatur.

Testamentorum publicationes, quamvis altero die post mortem testatoris, exigente sic necessitate, ad heredum petitionem fieri possint, tamen de jure nostro ad quatuor septimanas plerumque differuntur *(E. 1. Dist. 6.)*.

Si pars oppugnans intra XIV dies causas infirmandi testamenti in foro, uti diximus, non ediderit, neque ordinem senatorium de alio termino juxta processum juris nostri, sub *litera A. 54.* ad edendum dictas causas compellaverit: tunc jus oppugnandi amittit, idque ab eo tempore vim suam ac robur perfectissimum assumit *(E. 45.)*. Hoc fit ideo, quia multum interest reipublicae, ultimas voluntates hominum expediri *(E. 44. Dist. 4.)*

Ex praecedentibus igitur concluditur, testamentum jure publicatum post sex hebdomadas plenissimum robur acquirere *(D. 59. Dist. 2. E. 33.)*.

Causa efficiens impugnationem testamenti est is, qui id annullari studet.

Subjectum sunt causae legitimae, ex quibus testamentum infirmatur.

Objectum dicuntur ea, quae non debito modo in testamento, secundum aequum, sunt disposita.

Forma sunt solennitates, de quibus diximus.

Finis, ut iniquitas testatoris corrigatur, aut oppugnans in sua justitia conservetur.

De exheredatione et praeteritione liberorum:

Titulus XX.

Exheredatio est liberorum a successione exclusio *(E. 49. Dist. 1.)*. Cuilibet enim, qui parentis loco habetur, liberum est, pro sua voluntate de suis bonis disponere, sublata omni querela inofficiosi testamenti *(E. 51.)*.

Ejusmodi exheredatio fit: Aut tacite, ut quando mater vel avus maternus, filios sive nepotes silentio praetereunt; et haec tantum facit, quantum patris et avi paterni expressa exheredatio. Aut expresse, quando pater vel avus paternus filios vel nepotes suos expresse a successione excludunt. Ideo dico „avus paternus et pater," quia mater et avus maternus non habent descendentes in sua potestate; ac proinde in iis expressa exheredatio non requiritur; verum sufficit illis silentium seu praeteritio.

Pater, si quem suorum liberorum vult exheredare, tenetur testamento suo causam legitimam, cur id faciat, exprimere *(E. 48. Dist. 2.)*.

Hereditas liberis debetur primo jure divino; aequum enim est, quod parentes thesauros liberis colligant. Ergo juxta Paulum: Si filius, est et heres. Deinde jure naturae, canonico et civili.

Causa efficiens exheredationem est testator vel testatrix.
Subjectum sunt liberi.
Objectum est ipsa hereditas, a qua quis excluditur.
Forma sunt requisita exheredationis.
Finis est hereditatis seu juris succedendi privatio.

Causas legitimae exheredationis sequens tabula declarat.

Causae exheredationis, propter quas parentes liberos suos exheredare possunt, sunt 14. Ut si filius

1. Parentibus suis gravem aliquam injuriam aut manus violentas intulerit.
2. Parentes in criminalibus causis accusaverit, quae non sint contra principem vel rempublicam.
3. Cum maleficis hominibus versetur.
4. Vitae parentum suorum per venenum sive alio modo insidietur.
5. Novercae aut concubinae patris sui se immiscuerit.
6. Delator contra parentes exstiterit, aut per suam delationem gravia dispendia eos fecerit sustinere.
7. Patre conjecto in vincula, nolit pro eo fidejubere.
8. Prohibuerit parentes condere testamentum.
9. Praeter voluntatem parentum arenariis aut mimis se sociaverit.
10. Neglexerit patrem senem defendere, vel furiosum curare et nutrire.
11. Captivum patrem non redemerit.
12. Fuerit hereticus aut blasphema.
13. Vel filia citra voluntatem sui patris nuptias contraxerint.
14. Denique, si filia mavult impudice vivere, quam honesto matrimonio jungi.

(De his causis vide Jus nostrum Pragense sub lit. *E. 49. Dist. 3* et seq. et §. ad haec *N. 114.*)

De successione ab intestato.

Titulus XXI.

Superioribus titulis diximus de testamentis, quando scilicet hereditas per viam testati defertur; item de impugnatione testamentorum, aut exheredatione seu praeteritione liberorum. Nunc videbimus, quomodo hereditas alicui obveniat per successionem ab intestato.

Est autem successio ab intestato nihil aliud quam jus acquirendae hereditatis illius, qui sine testamento decedit *(F. 5.)* Sine testamento autem decedere videtur, qui aut omnino testamentum non fecit; aut non jure fecit; aut id quod fecerat, ruptum irritumque factum sit; aut si ex eo nemo heres extiterit *(E. 22. F. 6.)*. His adde, quando testamentum judicialiter oppugnatum, officio judicis annullatur.

Apud nos quinque sunt succedentium ordines.

Primus est descendentium, id est liberorum ex justis nuptiis progenitorum. Intestatorum hereditates primum omni jure ad suos heredes pertinent. Sui autem heredes aestimantur, qui in potestate morientis fuerint, veluti filius filia, nepos neptisque ex filio, pronepos proneptisque ex nepote *(F. 7 et 8.)*

Liberi alii sunt naturales et legitimi simul, qui sunt ex justis nuptiis procreati. Alii legitimi tantum, quibus non natura, sed lex ipsa jus filiationis per adoptionem vel arrogationem attribuit. Alii naturales tantum, qui nati sunt ex concubina domi retenta, cum qua matrimonium esse poterat, vulgo bastardi dicti. Alii spurii aut vulgo concepti, qui matrem publicum scortum, aut incertum patrem habent. Alii nefarii et incestuosi, ex illicito aut damnato coitu nati. Hi nempe ex proximis collateralibus, ut fratre aut sorore; illi ex ascendentibus et descendentibus, veluti patre et filia, progenerantur. Alii quoque sunt adulterini, hoc est ex translatione alterius thori editi.

Liberi primi gradus, ut fratres et sorores, in capita succedunt, nepotes vero et neptes ac ulteriores in stirpes, non distinguendo sexum vel jura potestatis, sed sola naturali causa inspecta *(F. 7 et F. 8.)*

Successio in capita proprie dicitur fieri, quando hereditas dividitur secundum numerum personarum, hoc est aequaliter. In stirpes fieri dicitur, quando plures tantum accipiunt, quantum unus. Ut si extarent duo filii et tres nepotes ex filio praemortuo, divideretur hereditas defuncti in tres partes, quarum quilibet filiorum unam haberet, et tertia pars inter nepotes defuncti divideretur. Et hoc modo non solum succedunt liberi post dotem, hoc est justis nuptiis progeniti, sed etiam anteriores, per subsequens matrimonium legitimati, qui et iis, qui postea nati sunt, occasionem legitimi nominis praestiterunt. Sunt autem tres modi legitimationis: alius per oblationem curiae, alius per rescriptum principis, alius per subsequens matrimonium.

Secundus ordo est ascendentium, juxta illud: Ordine turbato, succedis Bulgare nato. Etenim defuncto sine liberis, parentes si soli sunt, succedunt, salva gradus sui praerogativa. Si pari sunt gradu, pariter succedunt, paternis quidem dimidia, maternis alia dimidia delata, licet sit dispar eorum numerus. Sed si cum parentibus fratres et sorores utrinque defuncto conjuncti supersint, vocantur cum ascendentibus gradu proximis, ita ut viriles portiones fiant, exclusa prorsus omni differentia sexus et patriae potestatis *(F. 12. Dist. 1 et 2.)*. Memineris autem, tot esse ascendentium sive parentum species, quot diximus descendentium *(F. 12. Dist. 4.)*

Tertius ordo in successione est collateralium, usque ad decimum gradum *(F. 15. Dist. 2.)*. Cessante nempe successione lineae descendentis et ascendentis, vocantur ad successionem primo fratres, fratrisque praemortui filii in stirpes, jure repraesentationis *(F. 11 et F. 13.)*. Dico autem de fratribus eorumque filiis, qui ex utroque parente contingunt eum, de cujus heredi-

tate agitur. Nam praedicti fratris filii, etsi tertio gradu sint, praeferuntur tamen fratribus defuncti, qui ex uno tantum parente cognati erant.

Post fratres ex utroque parente et eorum filios, admittuntur de Jure Communi ex uno latere fratres sororesve, cumque his et filii eorum, si qui jam decesserint ex iis. Hi autem fratrum filii, cum pares sint defuncti fratribus, praeferuntur procul dubio ejusdem defuncti patruis et aliis similibus. Et in his successionibus omnino cessat sexus et agnationis ratio.

(Hic nota differentiam inter agnatos aut cognatos. Agnati dicuntur, qui nobis sunt conjuncti ratione sexus virilis, quasi a patre cognati; nos appellamus collaterales a parte gladii. Cognati vero sunt, qui per femineum sexum nobis sunt conjuncti; hos collaterales a parte fusi appellamus.)

Post fratres, fratrumque filios vocantur, quicunque gradu sunt proximiores; et pares in gradu pariter admittuntur, sublata omni differentia de Jure Prag. masculorum et feminarum *(F. 14.)*.

Hic notandum, tot esse et fratrum species, quot liberorum ac parentum. Quidam enim fratres sunt naturales et legitimi simul; quidam naturales tantum; quidam legitimi tantum; quidam fratres spurii vel vulgo quaesiti, qui tantum uterini sunt, aut succedunt sibi in vicem ab intestato; quidam sunt nefarii et incestuosi, qui ob atrocitatem delicti nec ad patris nec ad matris successionem admittuntur; quidam adulterini, quibus de rigore juris civilis ne alimenta quidem a parentibus debentur, quum sint omni substantia parentum indigni, nec nomen habeant filiorum; licet de aequitate canonica debeantur illis alimenta, propter naturalem aequitatem, quam Canones semper ob oculos habent. Educatio siquidem est juris naturae, atque originem habet ex instinctu naturae, adeo quidem, ut si parentes liberis indigentibus alimenta negarint, homicidii possint accusari.

Quartus ordo succedentium est conjugum; nam maritus et uxor ab intestato invicem sibi in solidum pro antiquo jure succedunt. Verum id intellige, si conjuges bona sua ex pacto solennis traditionis sibi mutuo obligarunt *(C. 53.)*. Aut si quis eorum relictis liberis moritur; eo casu quoque post mortem liberorum supervivens conjunx succedit *(Id colligi licet ex lege sub litera F. 10.)*

De jure antiquo mater ex bonis mariti defuncti semissem capiebat, et deinde in altero semisse cum liberis usque ad quadrantem quoque succedebat; sed illud per novas constitutiones Regni, tanquam juri et aequitati contrarium, penitus est sublatum. Hodie nempe mater cum liberis extantibus in capita, hoc est pro rata et virili portione, defuncto marito succedit *(C. 61.)*.

Si conjuges liberos non habent, neque ex pacto solennis traditionis bona sibi invicem, quoad successionem, obligarunt:

eo in casu alterutro mortuo, pars superstes succedit in quadrante, hoc est in tertia parte bonorum. Correlativorum enim eadem est juris dispositio, quoad textum sub litera *C. 44. Dist. 1.*

Quintus ordo succedentium est fisci. Nullo nempe ex qualibet sanguinis linea vel juris titulo, legitimo herede relicto, id est, non extantibus descendentibus neque ascendentibus neque collateralibus ad decimum usque gradum, hereditas vacare dicitur, et ad fiscum, id est aerarium regium, transfertur *(F. 15. Dist. 2.)*.

Efficiens causa successionis ab intestato sunt omnes leges eam juste deferentes.

Subjectum sunt legitimi heredes, vel descendentes, vel ascendentes, vel collaterales, aut alii, de quibus nunc diximus.

Objectum sunt res derelictae.

Forma est, ut non extet testamentum, vel id, quod extat, sit injustum, aut annullatum, aut legitimi heredes ordine debito succedant.

Finis est universalis bonorum derelictorum acquisitio.

De nuptiis et divortio.

Titulus XXII.

Praecedente titulo dictum est, intestatorum hereditates primum ad liberos ex justis nuptiis editos pertinere; itaque consequens est, jura quoque nuptiarum, earum ordinem aut observationem de jure Canonico exponere, ut et illi, qui in consistoriis de conjungendo vel dirimendo matrimonio disceptant, hoc labore nostro quoque juvari possint.

Sunt autem nuptiae conjunctio maris ac feminae, et consortium omnis vitae, divini et humani juris communicatio *(C. 33. Dist. 2.)*. Dicuntur a nubendo, quod nova nupta pudoris gratia se obnubat ac velet, in signum subjectionis, ut sciat se viro esse subjectam et discat esse humilis.

Synonyma sunt conjugium, connubium, consortium, nuptiae aut matrimonium; nam eandem rem denotant. Verum frequentius usurpantur vocabula nuptiae aut matrimonium, quorum illud festivitatem nuptialis diei, hoc vero consummatum matrimonium proprie significat; sed promiscue in jure capiuntur. Dicitur autem matrimonium quasi matris munium, hoc est officium, quia dat mulieribus esse matres. Ideo potius a matre dicitur matrimonium, quam a patre; mater nempe plura matrimonii onera sustinet, quum sit ante partum onerosa, in partu dolorosa, post partum laboriosa. Nec tamen ideo debet esse caput mariti, quia non est facta ex capite ejus, ne videretur domina, nec ex pede, ne omnino videretur famula, sed ex costa, ut collateralis aut viri socia.

Nuptias non concubitus, sed consensus facit, qui declaratur per verba vel praesentis vel futuri temporis. Si per verba futuri temporis, dicitur promissum; si vero per verba praesentis temporis, dicitur contractum matrimonium, quod postea corporum conjunctione perficitur.

Sponsalia se habent circa matrimonium ut quoddam praeambulum. Sponsalia nempe sunt mentio seu repromissio futurarum nuptiarum; et dicuntur a spondendo, hoc est, promittendo, quod moris fuit veteribus spondere sibi uxores futuras, unde et sponsi sponsaeque appellatio est nata. Quae quotuplicia sint, quomodo contrahuntur, tabula huic Titulo subjecta demonstratur.

Nuptiarum quaedam sunt illicitae, quaedam licitae. Illicitae sunt, quae prohibentur: Primo, ratione sanguinis inter ascendentes et descendentes in infinitum; quia omnes parentum ac liberorum loco sunt. Unde si Adam hodie superstes esset, aliam uxorem praeter Evam habere non posset. Ejusmodi nuptiae de facto contractae, de jure dicuntur nefariae, quemadmodum et sequentes incestuosae.

Secundo, ratione consanguinitatis inter collaterales usque ad 4. gradum inclusive.

Harum et praecedentium nuptiarum effectus sunt, quod non reputantur pro matrimonio, nec vocantur mariti et uxores, et sic neque dos, neque donatio propter nuptias illis debetur. Imo liberi ex iis editi non sunt in parentum potestate, quum neque naturales, neque legitimi habeantur, sed nefarii et incestuosi et paterna hereditate indigni. Poena contrahentium dictas nuptias est confiscatio omnium bonorum, privatio cinguli (hoc est, dignitatis), missio in exilium, et si viles personae fuerint, corporis castigatio.

Tertio, ratione affinitatis primi generis similiter ad quartum gradum, infra quem sine dispendio animae non potest quis copulari.

Tria sunt genera affinitatis: Primum est, quod mediante una persona contrahitur; persona enim addita personae mutat genus attingentiae, non autem gradum, ut: Ego aut frater meus sumus consanguinei in primo gradu consanguinitatis; frater meus ducit uxorem; illa est persona addita per copulam carnis, et mutat genus, id est, alio genere attinet mihi, quia uxor illa est mihi affinis, frater vero est mihi consanguineus. Gradum autem non mutat; sicuti enim frater est mihi in primo gradu consanguinitatis, ita et illa est mihi in primo gradu affinitatis.

Secundum genus affinitatis est, quando primo generi est addita alia persona per carnis copulam, ut uxor fratris mei est mihi in primo genere affinitatis juncta; mortuo fratre meo, adde

ejus relictae alium maritum, is erit mihi affinis in secundo genere. Sic etiam de sorore mea aut ejus marito.

Tertium affinitatis genus est, quod constituitur mediantibus tribus personis. Persona nempe secundo generi per carnis copulam adjecta, constituit tertium genus; ut relicta fratris mei uxor, quae mihi est in primo genere affinitatis, post ejus mortem nupsit Cajo, qui est mihi in secundo genere. Ipsa decessit, Cajus autem aliam duxit, et illa est mihi in tertio genere affinitatis. Nunc quaeritur: Utrum mortuo Cajo liceat mihi ducere ejus relictam? Et deciditur, quod sic, quia secundum aut tertium genus affinitatis hodie non impedit matrimonium. Primum enim genus tantum obstat nuptiis, in quo contrahitur affinitas inter sponsum aut consanguineos sponsae, aut vicissim inter sponsam aut consanguineos sponsi. Inter consanguineos autem sponsi aut sponsae nulla est affinitas, quae impediat matrimonium. Hinc est, quod pater et filius possint ducere matrem aut filiam, si vidua videlicet extat, quae habet filiam, aut vir, qui habet filium; aut duo fratres possunt ducere duas sorores.

Quarto, nuptiae dicuntur illicitae ratione consanguinitatis legalis, ut inter patrem et filiam, fratrem et sororem adoptivam. Hae nuptiae et consequentes, tantum lege vel canone et non natura repugnante, ut priores, de quibus dictum est, contrahuntur; et ideo appellantur de jure inutiles.

Quinto, ratione publicae honestatis, ut si filia senatoris nuberet alicui, artem ludicram exercenti. In conjunctionibus enim non solum quid liceat, sed et quid honestum sit, considerari debet. Proinde bene Jure nostro sub lit. *M. 42* constitutum est, ne arenarii, quadruplatores, mimi, cinaedi, bancorupti, et id genus alii inutiles homines, honestas viduas, virgines et pupillas, matrimonio sibi adjungi attentent; alias mulctarentur arbitrio judicum. Idem est, si quis consanguineorum sponsi ducat in uxorem ejus desponsatam. Novo tamen jure nulla dignitas prohibet cum libera persona nuptias contrahi.

Sexto, ratione raptus virginis, idque de jure Civili; nam de jure Canonico potest esse matrimonium inter raptam et raptorem.

Septimo, ratione spiritualis cognationis, quae est inter eum, qui puellam suscepit ex baptismo, et ipsam susceptam.

Octavo, ratione contracti matrimonii; qui enim uxorem habet, aliam ducere non poterit.

Illae sunt causae, quibus nuptiae redduntur de jure Canonico illicitae. Ceterae omnes sunt licitae, dum tamen personae liberae, masculi puberes et feminae viri potentes, cum consensu eorum, quorum sunt in potestate, matrimonium contrahant.

Impuberes licet nuptias contrahere non possint, sponsalia tamen bene possunt post septimum aetatis annum, nisi forte malicia suppleat aetatem.

Quum nuptiae rite contractae non dissolvuntur nisi morte naturali aut divortio, placuit hic quoque divortii ideam et processum subnectere. Quoad mortem Sanctus Paulus dicit, quod mortuo marito, uxor sit lege mariti soluta, et nubendi cui velit in Domino, habeat liberam facultatem.

Divortium fit quatuor ex causis. Primo propter adulterium; nam si maritus convinci potest de adulterio, uxor habet jus petendi divortium, et e contra.

Excipe. 1. Si maritus quoque adulterium commisit; paria enim delicta pari compensatione tolluntur.

2. Si maritus uxorem suam prostituit.

3. Si uxor per vim fuerit oppressa.

4. Si uxor cognita fuerit ab aliquo, quem credebat esse proprium maritum.

5. Si uxor nupserit alteri, credens maritum esse defunctum; nam priore reverso cogitur ad eum redire et deserere posteriorem, non obstante adulterio; secus, si scienter post reditum prioris apud posteriorem maritum permanserit.

6. Si inter fidelem et infidelem fieret divortium et infidelis ante secundas nuptias converteretur, tunc a fideli recipi debet.

7. Si adultera reconcilietur viro suo, qui eam post commissum adulterium ad se recipiat.

Secundo fit divortium propter diversitatem religionis; si enim alter conjunx doctrinae verae ecclesiae fuerit hostis, nec velit converti, tum orta inter conjuges dissensione propter religionem, mutuae reconciliationi non est locus, praesertim ubi infidelis nolit amplius cohabitare fideli, sed discedat ab eo; tunc admittitur divortium, innocentique datur facultas aliud matrimonium ex sententia Pauli 1. Corinth. 7. contrahendi.

Tertio, propter frigiditatem et impotentiam coeundi naturalem, non autem accidentalem. Et hoc casu non debet fieri sejunctio re adhuc dubia, ante triennium: sed elapso constituto tempore, si medicatio frustra tentatur, facta separatione, persona, cujus vires integrae sunt, aliud contrahere matrimonium poterit.

Qui contrahit scienter cum impotenti ad copulam, ab ea non separatur. Impotens ad copulam, impotens est et ad contrahendum matrimonium, sive sit impedimentum aetatis sive naturae.

Quarto, si alter conjugum alteri continue mortem machinetur. Sed hoc casu pars innocens non potest transire ad secunda vota, nisi post mortem partis nocentis.

Nonnulli addunt et quintam causam divortii, desertionem, si maritus deseruerit uxorem, vel illa maritum.

Versus autem de iis, quae vel matrimonium impediunt vel contractum dirimunt, tales habentur:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas;
Si sis affinis, vel forte coire nequibis:
Haec socianda vetant connubia, facta retractant.

Ex jam dictis patet, divortium nihil aliud esse quam legitimam separationem mariti et uxoris, cum causae cognitione apud competentem judicem.

Matrimonium est species materiae spiritualis, cujus cognitio ad ecclesiasticos pertinet. Ideo etiam causae matrimoniales ab Imperatore ad cognitionem episcoporum rejectae sunt. Et secundum locorum consuetudinem vel ab ipsis vel a consistoriis, ut apud nos Pragae, si sunt ex parte sub utraque eucharistiam Domini communicantium, cognoscuntur, *de quo vide Jus Prag. sub lit. C. 36.*

Redintegrantur matrimonia post factum divortium: Primo, mutua reconciliatione, secundo, superveniente adulterio a parte illius, quae petit divortium; tertio, si divortium est per errorem factum; quia in causa matrimoniali nulla sententia adeo transit in rem judicatam, ut non possit retractari comperta veritate; quarto, quando infidelis convertitur, tunc fidelis, qui propria auctoritate ab eo recessit, vicissim illi cohabitare compellitur.

Quia in causis matrimonialibus jus Canonicum observatur, eo quod matrimonium sit species materiae spiritualis, quare pro iis, qui jus illud non habent et in consistoriis causas matrimoniales defendunt, aliquas regulas communes ex eodem jure Canonico huc adferre visum est.

I. Regula.

Conditione honesta ac possibili, in principio contractus sponsaliorum aut matrimonii adjecta, si non fuerit impleta, dissolvitur contractus.

Ejusmodi conditio esse debet aut voluntaria, aut necessaria, quae consensum matrimonii tam diu suspendit, donec conditio extiterit; veluti: „Ducam te in uxorem, si nihi dederis centum"; nam non datis illis centum, eam ducere non cogor, nisi forte postea consensus de praesenti, aut carnalis sit inter nos commixtio subsecuta. Qui nempe sub honesta conditione sponsalia contrahit et ante conditionis eventum desponsatam cognoscit, a conditione apposita recedit.

II. Regula.

Conditio inhonesta et possibilis, quae est contra substantiam matrimonii, dissolvit sponsalia, ita ut nec post secutam copulam carnalem confirmentur.

Conditionem inhonestam et possibilem intellige eam, quae manifestam in se turpitudinem habet ac facile potest impleri, ut: „Contraho tecum, si generationem prolis evites,“ aut „si pro quaestu adulterandam te tradas.“

III. Regula.

Conditio honesta et impossibilis non viciat sponsalia, sed favore matrimonii pro non adjecta habetur, veluti si quis dicat: „Habebo te pro uxore, si cras 10000 mihi dederis.“

IV. Regula.

Conditio inhonesta et impossibilis ratione matrimonii habetur pro non adjecta, ut: „Ducam te, si per Turcam fueris prostituta.“

V. Regula.

Si quis vivente uxore contrahit cum secunda, prima mortua, ad suam petitionem non separabitur a secunda. Licet nempe in Canonibus habeatur, ut nullus copulet matrimonio, quam prius polluerat adulterio, et illam maxime, cui fidem dederat, uxore sua vivente, vel quae machinata est in mortem uxoris: quia tamen praefata mulier erat inscia, quod ille aliam uxorem haberet viventem, ideo indignum videtur, ut praedictus vir, qui scienter contra Canones venerat, lucrum de suo dolo reportet.

VI. Regula.

Qui vivente uxore a se separata quoad thorum, secundam hujus rei consciam ducit uxorem, talis etiam secundam habere non potest, sed adulterii poenitentiae subjacet. Similiter qui vivente uxore legitima, cum secunda contrahit adultera, eam prima mortua habere non potest, etiam si longo tempore ei Conhabitavit et filios ex ea suscepit. Et talis publicae poenitentiae subjicitur, ac perpetuo sine ulla spe conjugii permanet.

De jure Caesareo vir habens duas uxores, non solum fit infamis, verum etiam poena stupri punitur. Hodie autem ex Constitut. Caroli Quinti et de jure nostro decollatur; si vero est mulier, tum viva humatur (*Vide Jus Prag. sub lit. M. 40.*).

VII. Regula.

Si quis vivente prima uxore, alii matrimonium promiserit, et eam nec ante nec post cognoverit; mortua prima uxore, eam ducere potest.

VIII. Regula.

Contrahens successive per verba de praesenti cum duabus, tenetur adhaerere primae, etiamsi secunda carnaliter fuerit ab eo cognita.

IX. Regula.

Si fidem pactionis alicui mulieri fecisti, non debes aliam ducere; alias poenitentiam ages de fide mentita, et manebis cum illa, quam duxisti.

X. Regula.

Servus contradicente domino et invito, matrimonium contrahere non prohibetur; propter hoc tamen non liberatur a servitiis domino debitis.

XI. Regula.

In causa matrimonii conjungendi vel dirimendi, parentes, fratres et cognati utriusque sexus ad testificationem admittuntur. Qui nempe melius recipi debent, quam illi, qui melius sciunt, et quorum est interesse, ita ut si non interfuerint, secundum leges nullum fiat matrimonium?

XII. Regula.

Mulieri, quae negat se in matrimonium consensisse, non creditur, marito probante contrarium; secus, si probat se consensisse per metum, qui potest cadere in constantem.

XIII. Regula.

Contractus matrimonii cum peccatrice volente se corrigere, proficit ad remissionem peccatorum. Inter opera enim charitatis non minimum est, errantem ab erroris sui semita revocare. Et ideo jure Canonico statutum est, ut omnibus qui publicas mulieres de lupanari extraxerint et duxerint in uxores, quod agunt, in remissionem peccatorum proficiat.

XIV. Regula.

Si mulier ob causam adulterii, judicio ecclesiae aut propria voluntate a viro recesserit, nec conciliata sit: tum dotem vel dotalitium repetere non potest. Sed si pro aliqua licita

causa a proprio viro fuerit separata, tum totam dotem recipit. Sicuti enim soluto matrimonio donatio propter nuptias redit ad virum, ita dos redit ad mulierem.

Hic aliquis objicere posset: Tamen in Constitutionibus Caroli Magni Imperatoris, qui primus fuit, qui se fecerat tempore Adriani Pontificis Romani inungi inter imperatores, statutum, concernens Saxones, his verbis habetur: Mulier per luxuriam sui corporis potest famam suam denigrare, jura autem sua propterea non perdet, neque hereditatem. Sed sciendum, quod ea saltem procedebant in soluta, et non in adultera vel nupta. Atque etiam Carolus id admisisse videtur ad evitandum majus malum, sicuti Moises permisit aliquando Judaeis libellum repudii, ne suas interficerent uxores, et immolarent vero Deo, inter alias causas propterea, ne alias declinarent ad idola. Itaque illa constitutio non est sic accipienda, quod mulier adultera non deberet perdere lucrum illud, quod ex nuptiis a marito fuisset consecuta.

XV. Regula.

Mulier nubens infra annum lugubrem, infamiam non incurrit. Siquidem Apostolus dicit: Mulier mortuo viro soluta est legibus et habet potestatem nubendi in Domino, videlicet non obstantibus legibus, quae prohibent nuptias contrahi infra annum.

XVI. Regula.

Matrimonia debent esse libera; nam metu et coactione contracta ipso jure sunt nulla. Proinde si pars sponsalibus coactis renuat, potius est monenda quam cogenda, ut datam fidem servet; coactiones nempe difficiles sortiuntur effectus *(C. 34. Dist. 1.)*

Licet conjugia debeant esse libera, tamen secundum Constit. Caroli Quinti Imp. factam in suis hereditariis regnis, quam et nos sequimur, ejusmodi liberae voluntati quoque accedere debet consensus parentum, vel eorum, qui parentum loco habentur; secus enim facientes de jure nostro exheredari possunt *(C. 35. Jus Prov. I. 59.)*

XVII. Regula.

Si contingat aliqua ex causa legitima inter conjuges fieri divortium, liberi ex iis nati pro legitimis habentur *(F. 45.)*

Legitimi liberi de jure nostro declarantur aut per confessionem parentum *(F. 43. Dist. 1.)*, aut per testimonium duorum virorum, qui sponsalibus interfuerunt *(F. 43. Dist. 2.)*, aut per instrumenta publica *(F. 44.)*.

Causa efficiens nuptiarum est Deus, qui **hunc ordinem in paradiso instituit,** et omnia jura, divinum, naturae, gentium, civile aut canonicum. Matrimonium enim quoad institutionem est juris divini; quoad conjunctionem, est juris naturae: quoad consensum est juris gentium; quoad pacta dotalitia est juris civilis; quoad solennitates est juris canonici; quoad prohibitionem vero certorum graduum est juris divini et canonici simul.

Subjectum nuptiarum sunt unus mas et una femina.

Objectum sunt verba de praesenti et solennitates, ut publica proclamatio, dos, donatio propter nuptias, traductio sponsae ad ecclesiam, benedictio sacerdotis, vel amen sponsae, et similia.

Forma nuptiarum est legitima conjunctio unius maris atque feminae: ad quam requiruntur libertas, justa aetas, consensus tam contrahentium, quam eorum in quorum sunt potestate, et ne fiat conjunctio in gradibus prohibitis.

Finis est sobolis procreatio, aut evitatio fornicationis aut aliarum libidinum.

Effectus sponsaliorum sunt: 1. Quod pais contraveniens tenetur ad restitutionem dupplicatarum arrharum. 2. Quod subsequente copula carnali ex sponsalibus verum perficitur matrimonium. 3. Quod pars praesens absentem expectare tenetur ad triennium.

Tabula de divisione et dissolutione sponsaliorum.

- Sponsalia sunt aut de
  - futuro, et sunt vel
    - jurata, contrahentium juramento firmata (c. 1. de spons.)
    - non jurata, sine juramento per dationem arrharum vel subarrhationem annuli inita (c. 1. de spons.)
  - praesenti, et sunt vel
    - clandestina, remotis testibus et sine consensu parentum, contracta. Et ita dicuntur, aut
      - stricte et proprie, quando nemine praesente sunt inita.
      - large et improprie, quando in praesentia testium, sed sine consensu parentum sunt contracta.
    - publica, quae cum consensu tum contrahentium tum parentum, in praesentia testium fiunt, idque aut
      - pure, sine dilatione aut conditionis adiectione, in quibus alter alterum compellere potest ad consummationem matrimonii.
      - conditionaliter, quae annexam habent conditionem; qua nondum eveniente matrimonium quoque suspenditur.

- Sponsalia dissolvuntur aut
  - sententia, ut si
    - alter fornicetur
    - alter incidat in lepram vel paralysin
    - conditio apposita non fuerit impleta
  - jure ipso, ut si
    - alter eorum postea contrahat cum alio per verba de praesenti
    - interveniat medio tempore consanguinitas.

De tutelis et senatus consulto Macedoniano.

Titulus XXIII.

Quia plerumque ubi successionis emolumentum est, ibi aut tutelae onus esse debet: igitur post successionem species aut nuptiarum observationem jura tutelarum hic etiam placuit annectere.

Tutela, quam Graeci epitropen vocant, nihil aliud est, nisi vis ac potestas in capite libero, ad tuendum eum, qui per aetatem se ipse defendere nequit, jure civili data ac permissa *(D. 5. Dist. 1.)*

Qui hanc vim ac potestatem habent, dicuntur tutores, quasi tuitores atque defensores. Principaliter enim personis dantur, licet quoque secundario facultates ipsorum indemnes servare teneantur.

Ejusmodi tutela est 1. Aut testamentaria, quando tutores testamento dantur *(D. 8.)*;

2. Aut legitima, quum his, quibus testamento tutor datus non est, ex lege XII tabularum agnati sunt tutores *(D. 7. Dist 1.)* Consentaneum nempe est naturae, ut sentiat onus, qui vult sentire commodum *(D. 7. Dist. 2. Jus Prov. I. 52. in fine.)*

3. Aut dativa, quando non extantibus testamentariis vel legitimis tutoribus, aliqui dantur a magistratu *(D. 11. Dist. 1.)*

4. Aut patriae potestatis, quum pater liberis suis impuberibus aliquos ex singulari fiducia tutores constituit *(D. 9. Jus Prov. I. 54. I. 61.)*

Sunt et aliae de jure nostro tutelarum species, ut honoraria, quando a magistratu pro honore, ope et consilio praestando tutoribus datis alii adjunguntur tutores *(D. 22.)*, et anomala seu extraordinaria, ut si matri vel aviae et aliis gradu proximioribus feminis tutela relinquatur *(D. 10 et Jus Prov. R. 2.)*

Sed de jure Caesareo mater et avia non possunt esse tutores, nisi viduae manserint et renunciaverunt Senatusconsulto Vellejano et aliis beneficiis mulierum. Et si mater tutores liberis non petierit vel in locum remoti vel excusati intra annum petere neglexerit, ab eorum impuberum morientium successione repellitur.

In omni tutela primum officium tutoris est, ut super bonis pupillorum, praesentibus juratis et notario, inventarium conficiat *(D. 13. et D. 14.)*

Jure Communi tutor, qui repertorium non fecit, in ea conditione est, ut teneatur in id, quod pupilli interest; ideo nihil ante inventarium eum gerere oportet, nisi id quod dilationem nec modicam expectare possit. Alterum tutoris officium

est, ut pupillos bonis moribus instituat et tam salutem quam corpus illorum curet *(D. 20.)*

Pupillus educari debet apud matrem, si innupta manserit; si vero nupserit vel mortua fuerit, apud cognatos aut eos, quibus magistratus eam provinciam decernit. Est autem potissimum cura adhibenda, ne apud eos pupillus educetur, ubi pudicitia illius periclitari possit.

De Jure nostro saltem legitimi tutores satisdant, rem pupillorum salvam fore *(D. 7. Dist. 4. Jus Prov. I. 62.)*. Testamentarii et dativi seu Attiliani tutores satisdatione non onerantur, quia hi idonei electi sunt et illorum fides ac diligentia ab ipso testatore approbata est. Post administrationem tutelae tamen de ratione reddenda tenentur *(D. 14. D. 16.)*

Patriae potestatis tutor neque ad satisdandum neque ad rationem reddendam obligatur; siquidem ejus tutelà sola patris fiducia nititur *(D. 9. Jus Prov. I. 61.)*. Et talis tutor cum patre ejusdem est potestatis *(Jus Prov. I. 61.)*, ita ut necessitate cogente et alium tutorem in locum suum possit substituere *(D. 9. Dist. 2.)* Honorarii quoque tutores a satisdatione et rationis reddendae onere excusantur.

Licet tutorum autoritas sit magna, tamen illis non est licitum, res pupillorum vel alienare vel ad se transferre, sine decreto judicis *(D. 33.)*. Tutor enim in bonis pupilli pro domino habetur, quum tutelam bene administrat, et non, quum pupillum spoliat, nisi quid autoritate judicis possideat *(D. 33. Dist. 3.)*.

De jure Caesareo, autoritas tutorum est necessaria saltem in iis, in quibus ipsi obligantur aliis, ut si quid pupilli dederint vel vendiderint aliis, non autem si quid datum vel venditum fuerit. Nàmque meliorem quidem conditionem licet eis facere etiam sine tutoris autoritate, deteriorem vero non aliter quam cum tutoris autoritate.

Illud praecipue servatur in personis liberis, nostro juri subjectis, quod Senatusconsultum Macedonianum prohibuit mutuas pecunias illis dari et omnem actionem tam adversus mutuarios, quam eos quorum in potestate sunt, denegari *(D. 32. D. 40. Jus Prov. I. 67.)*

Hoc Senatusconsultum Màcedonianum ideo est introductum, quia saepe onerati aere alieno creditarum pecuniarum, quas in luxuriam consumebant, vitae, quorum in potestate erant, insidiabantur. Ne igitur cui quid mutues nisi perfectae aetatis sit, quae in masculum ad XVIII et in feminam ad XV annum incidit, qui annus dicitur annus pubertatis vel discretionis *(D. 26. Dist. 2.)*. Nemo tamen liberam suorum bonorum administrationem consequitur, nisi habuerit annos XX *(Jus Prov. I. 55.)*.

De Jure Caesareo, masculi puberes et feminae viri potentes usque ad XXV annum completum curatores habent. Quia licet puberes sint, adhuc tamen ejus aetatis sunt, ut sua negotia tueri non possint. Itaque ante eum annum non consequebantur bonorum administrationem, nisi impetravissent aetatis veniam.

Causa efficiens tutelam est vel testator, vel lex, vel judex.

Subjectum est persona, administrans tutelam.

Objectum est pupillus aut pupilla.

Forma est ipsa potestas administrandi res alienas, secundum cujusque fori consuetudinem.

Finis est pupillorum cura ac rerum ipsorum administratio. Expedit enim reipublicae, ne quis re sua male utatur.

De arbore consanguinitatis.

Titulus XXIV.

Quia superioribus titulis explicatum est, qualiter hereditates et tutelae ab intestato proximis agnatis deferantur, aut in quibus gradibus nuptiae sint prohibitae: ergo non inconveniens videtur, nunc de arbore consanguinitatis, quae principaliter circa successiones, tutelas ant matrimonia versatur, aliquid subjicere.

Consanguinitas dicitur quasi sanguinis unitas *(F. 16. Dist. 13.)* Arbor nihil aliud dicitur, quam ocularis demonstratio, secundum quam personarum distantiae mutuo inter se discernuntur. Est autem duplex, civilis et canonica *(F. 16. Dist. 2 et 3.)* Civilis dicitur, quae gradus complectitur et ad tutelas et ad successiones pertinet. Canonica est, quae in computatione lineis utitur, tantumque matrimonia respicit.

Arbor civilis et canonica, quoad numerationem graduum inter ascendentes et descendentes, nihil differunt. Utrinque nempe singulae personae singulos repraesentant gradus. Stipes autem excipitur, quia ab eo omnes aliae personae propagantur. Unde Panormitanus inquit: Pater et filius numerantur pro una persona; sunt enim unius et ejusdem sanguinis. Sed quoad collaterales, valde differunt. Duo enim fratres et duae sorores, aut unus frater et una soror, de jure Civili sunt in secundo gradu, qui de jure Canonico sunt in primo gradu. Et ratio est, quia in arbore civili in collateralibus non construitur primus gradus; de jure vero Canonico constitui potest. Jus nempe Canonicum numerat gradus ratione matrimonii, quod requirit duas personas, quae unum constituunt gradum; jus vero Civile numerat gradus ratione successionis et tutelae, ubi quaelibet persona generata gradum constituit.

Arbor distinguitur gradibus et lineis *(F. 16. Dist. 5.)*

Gradus est habitud
quo cognoscitur, quota
personae inter se diff
locarumque proclivium,
mum transeuntes *(F. 1*

Linea est collecti
dentium, gradus contine
Estque triplex: ascend
(F. 16. Dist. 6.) Ascen
patrem, a patre ad avu
Descendentium, quando
nepotem, a nepote ad
meramus fratres et sor
lineam aequalem et inae
aeque distant a comm
patrueles et consobrini,
aequalis est, quando qu
ut patruus et nepos ex f

In graduum compu
tenendae sunt regulae.

Tot sunt gradus, q
mediis, una dempta, vid
habet. (Haec regula etia
linea, tam aequali quam
considerantur; alias aute

Exemplum. *F*
F
M
R

Distat ergo Rudolp
a Ferdinando secundo, e

Quoto gradu altera
distat a communi stipite,

Exemplum.
Ferdinandus.
Maximilianus.

Hic Maximilianus di
Maximilianus aut Philipp
secundo gradu.

III. Regula.

Quoto gradu lineae inaequalis collateralium remotior distat a stipite, toto gradu a se quoque distant.

Exemplum. *Philippus.*

Ferdinandus. *Carolus Quintus.*

Maximilianus. *Philipp. rex Hispaniae.*

Rudolphus.

Rudolphus distat tertio gradu a stipite; ideo et a Philippo, rege Hispaniae, distat gradu tertio.

Arborem vide in Jure Municipali Pragensi, in qua observari oportet: Primo cellulam vacuam, quae non habet proprium nomen; vocari potest Petrucius, et habetur in linea ascendente respectu superioris pro filio, et in linea descendente respectu inferioris pro patre, respectu vero fratris et sororis pro fratre. Fingitur enim Petrucius persona, de cujus cognatione quaeritur.

Secundo, in ascendentibus et descendentibus poni utrumque sexum in eadem cellula, ut patrem et matrem, avum aviam, filium filiam, nepotem neptem; et in lateralibus consanguinitatem esse separatam, ita ut agnati, id est juncti per masculos, sint in dextro latere arboris, et cognati juncti per feminas, in sinistro latere.

Tertio, arborem dictam habere duplicem numerum in singulis cellulis, superiorem et inferiorem. Superior denotat gradus secundum arborem canonicam, inferior vero secundum arborem civilem.

Causa efficiens arborem est jus Canonicum et Civile.
Subjectum est consanguinitas.
Objectum sunt nuptiae, successio aut tutela.
Forma est, prout hic depingitur.
Finis est, ut distantia personarum in ea ad oculum demonstretur.

De probatione per praesumptiones.

Titulus XXV.

Quinta species probationis est praesumptionum, quae quandoque plenam, quandoque semiplenam faciunt probationem.

Est autem praesumptio argumentum ad credendum aliquid factum, surgens ex probatione alterius; ut si apparet chirographum cancellatum, praesumitur debitorem esse liberatum. Ejusmodi praesumptio fit, quoties in rebus dubiis per signa et rerum circumstantias eundo, aliquid certi conjicitur. Ut Salomon praesumebat de vera matre, quod infantem nolebat dividi, sed potius vivum mulieri adversariae adjudicari. Et tales

praesumptiones ex rerum circumstantiis, de quibus vide *M. 5 et M. 12,* facile colliguntur.

Praesumptio est aut

- temeraria, quae habet originem a malis hominibus, aut exsurgit ex levibus causis; ut, loquitur cum ipsa, ergo eam amat. Haec praesumptio est invalida, aut a jure repellitur, nec debet movere animum judicantis.
- necessaria, quae alias juris et de jure nec non violenta dicitur, quando jus vehementer praesumit, sic esse vel non esse; ut, contraxit cum illa de futuro et carnaliter cognovit; ergo matrimonium est consummatum. Ictum evaginato gladio immisit, ergo vulneravit. Haec tecmeria signa in se continet, quae judicem ad pronunciandum plurimum movent.
- probabilis, quae ex multis causis exsurgit et suscipionibus; ut, gladium conspersum sanguine habet, ergo occidit. Et huic praesumptioni statur, donec contrarium probetur. Haec icota signa continet.

Causa efficiens hanc probationem est ipse probans.
Subjectum sunt praesumptiones et judicia existentia.
Objectum est negatio illius, contra quem probatur.
Forma est, quando praesumptio ex circumstantiis collecta in judicio probatur.
Finis est, ut veritas causae innotescat judici.

De probatione per jusjurandum.

Titulus XXVI.

Sexta et ultima probationis species est, quae fit per jusjurandum. Namque quum maximum remedium expediendarum litium juris sit jurisjurandi religio, per eam vel ex pactione ipsorum litigatorum vel ex autoritate judicis deciduntur controversiae *(Vide I. 31.)*

Jusjurandum nihil aliud est, quam quaedam facti, de quo disceptatur, religiosa secundum conscientiam asseveratio, quum quid quasi Deo teste asseritur.

Tale jusjurandum est triplex: Voluntarium, quod defertur a parte extra judicium, quodque dependet ex arbitrio et voluntate partium. Hoc non cogitur quis praestare, nec deferre. Judiciale, quod defertur a parte parti in judicio, judice approbante. Et hoc hodie potest recusari, sicut et voluntarium. Necessarium, quod per judicem defertur in supplementum probationum. Et hoc regulariter non recusatur, nisi ex justa causa recusationis. De hoc mentio habetur *I. 33.*

Quoties partium aliqua semiplene probavit per aliquam scripturam privatam, vel depositionem unius testis, tunc probatio illa suppletur jurisjurandi religione. Si vero actor nihil aut non sufficienter probaverit, tum reus absolvitur.

Romani in juramentis hac solennitate utebantur: Jurans bebat in manu silicem, dicebatque: „Si sciens fallo, Diespiter

me, salva arce urbeque, bonis suis ejiciat, ut ego hunc lapidem." Quam autem sit periculosum juramentum deferre aut referre, ostendit Augustinus: „Qui hominem, inquiens, ad jurandum provocat, et scit eum falsum juraturum, is vincit homicidam. Homicida enim corpus occisurus est, ille vero animam. Imo duas animas: et ejus animam, quem ad jurandum provocavit, et suam. Scis verum esse, quod tu dicis, et falsum, quod ille dicit, et tamen jurare compellis! Ecce jurat, ecce perjurat! Tu quidem jurasti, imo et tu periisti, quia de morte illius satiari voluisti."

Juraturus aliquis ex sententia judicis, de Jure nostro prius juramentum audit, praemonetur conscientiae, terminumque pro fideli et diligenti deliberatione certum habet. Imo et pars altera, ut, si non adeo multum intersit illius in juramento praestando, a suo coepto desistat, monetur *(I. 33, I. 35.)*

Omnium litium, teste Paulo, finis est juramentum *(I. 31.)* Nullus itaque debet ob praestitum juramentum injuria affici *(I. 38.)*

Causa efficiens hanc probationem est judex, deferens juramentum, et jurans.

Subjectum est veritas.

Objectum est id, quod in judicium deductum aliter non potest probari.

Forma est, quando secundum fori consuetudinem et modum a judice praescriptum quis jurat *(I. 33, 34, 36.)*

Finis est, ut judex veritatem discat et litem ex aequo definiat. *(I. 31.)*

De publicatione et impugnatione testium eorumque depositionum.

Titulus XXVII.

Supra in Titulo de dilationibus dictum est, quatenus post litem contestatam termini dilatorii ad probandum jura sua partibus a judice impartiuntur, quibus praeterlapsis depositiones testium et quascunque alias probationes, oportet habere expeditas, ut publicentur. Post probationum igitur species, recte nunc de publicatione testium titulus subjicitur.

Publicatio testium nihil aliud est, quam actus judicialis, quo utriusque partis probationes per judicem publice ac legitime audiuntur. Sub vocabulo testium omnes probationes intelliguntur, sive sint per testimonia testium, sive per alios modos, de quibus nunc diximus, legitime facta.

Qui vult pro se publicari attestationes testium, primum id sibi per judicem permitti petat, et deinde notario (si in eodem judicio testes fuerint recepti et examinati) chartam registralem, vulgo registřjk dictam offerat; quo facilius testium depositiones, in libris publicis notatae, per ipsum reperiantur *(B. 75. Jus Prov. B. 24.)*

Sine jussu judicis et dicta registrali charta, notarius depositiones testium suapte legere ac publicare non tenetur *(Jus Prov. P. 29.)*

Post unius partis probationes publicatas, si pars adversa petat sibi dilationem dari, in qua suas reprobationes postea exhibeat, id non debet admitti, juxta regulam: „Utraque pars producat testes, neque nectat dolos aut consuat cavillationes“ *(B. 58. Dist. 1.)*

Notarius in publicatione testimoniorum, omnia gratis legere ac perficere debet *(B. 57. Jus Prov. B. 24.)*

Si contingat, quod propter angustiam temporis aut aliam quamvis causam, utriusque partis probationes publicari et audiri nequeant: tunc illae probationes cum allegatis ad futuram sessionem in judicio deponuntur, ne quid amplius per partes in iis mutari possit *(B. 56.)*

Circa publicationem testimoniorum, pars partem verbis non molestare, sed pro loci et judicio dignitate, decus et observantiam servare debet *(B. 59.)*

In eodem actu publicationis testimoniorum tam contra personas, quam ipsarum attestationes excipitur, dum quis statim causas, quare vel ipse vel ipsarum attestationes non sint admittendae, proponit, utputa: Est infamis, minor, latro, perjurus, vel sibi ipsi contrarius etc. *(B. 85. Dist. 1.)*

De Jure Communi facta testimoniorum publicatione, permittuntur partes, participato consilio suorum advocatorum, ex intervallo excipere contra dicta et personas testium, inprimis quando expresse de eo fuerint protestatae, vel juraverint de calumnia, aut ostenderint, quod post publicationem didicerint id, quod velint contra personas testium nunc objicere.

Si testimonium alicujus fuerit oppugnatum, causa suspenditur et testis per partem, quae eum produxerat, certioratur, ut sese sistat et de causa rejecti testimonii, ex generali consuetudine, intra XIV dies parti adversae respondeat *(B. 85. Dist. 2 et 3. Jus Prov. P. 22.)*

Ejusmodi testis ex causa rejectus, si postea, quam de eo certior factus est, in termino praefixo non comparuerit et se in judicio non purgaverit, redditur infamis, testimoniumque illius ipso jure fit nullum *(B. 36. Dist 6. Jus Prov. P. 22.)*

Si causam oppugnationis contra testem non probaveris, tunc si testis est subditus, mulctaberis 20 sexag. gross; si vero est libera persona et ex statibus regni, ad revocandum obligaberis, ipseque per hoc infamis redderis. Proinde „Diffamare cave, nam revocare grave“ *(B. 85. Dist. 5. Jus Prov. P. 22. v 34.)*

Causa efficiens publicationem testimoniorum est judex, actor et reus, et notarius.

Subjectum est vel veritas vel falsitas causae, quae per testimonia probatur.

Objectum sunt affirmatio actoris et negatio rei.

Forma sunt solennitates, quae in actu publicationis servantur.

Finis est, ut inde judex de veritate causae instruatur et partes cognoscant, utrum bene vel male contra se vel pro se fuerit testatum, quo valeant deinde contra depositiones testium aut personas eorum excipere.

De allegatione et disputatione advocatorum.

Titulus XXVIII.

Testibus publicatis et omnibus peractis, quae ad factum spectant, juris allegationibus et disputationibus insistendum est.

Allegare seu disputare in foro, est intentionem suam per probationes in judicium deductas ostendere, et eam juribus asseverare ac roborare.

Hujusmodi allegationes ac disputationes fieri super testibus et actitatis, omnino est necessarium.

Allegationes fiunt hoc ordine: Actoris advocatus primo opponit, quae ad sui clientis intentionem juvandam et fundandam viderit expedire. Deinde rei advocatus, allegationibus respondet per dicta testium, si poterit, destruendo allgationes actoris, vel per quascunque alias probationes, allegans pro se jura, rationes et exempla. Demum si actor voluerit replicare contra allegationes, datur illi replicatio, et similiter reo conceditur triplicare et quandoque quadruplicare actori. Judex interim patienter advocatos audit, donec nihil habent, quod amplius allegent ac disputent.

Advocatus rei, per ordinem, quae per advocatum actoris fuerunt proposita, repetit, respondendo ad singula, et cuncta introducta (si poterit) jure destruendo, sive sit confessio partis, sive attestationes testium, sive instrumenta.

Causa efficiens allegationem ac disputationem sunt advocati et procuratores.

Subjectum sunt jura, quae allegantur.

Objectum sunt actitata in judicio.

Forma, ut ordine ad fori consuetudinem allegetur ac probatur.

Finis est, ut partium intentiones, praeter probationes deductas, juribus quoque roborentur ac confirmentur.

De conclusione in causa.

Titulus XXIX.

Finitis partium allegationibus, disputationibus et responsionibus, rogare debet judex ex partibus, velintne aliquid ulterius

proponere, vel habeantne quod in quaestionem vertant. Si nihil habent partes, renunctiant allegationibus, et id dicitur in causa concludere. Quae omnia redigi debent in scriptis. Conclusio nempe in causis plenariis est de necessitate et substantia. Si partes volunt aliqua dicere, quum tamen sufficienter dictum ac probatum sit, eademque, quae prius dixerunt, repetant, judex debet eis dicere, ut renuncient ac concludant, qui si contumaciter nolint concludere praesentes, tum fertur sententia.

De Jure Caesareo, nonnunquam conclusio in causa et per tacitam renunciationem valet, ut si partes praesentes petunt ferri sententiam, sese finali sententiae subjiciant scientes; et si fertur sententia ante conclusionem in causa, non tamen ea viciatur. Si enim non expresse, tamen tacite renunciaverunt. Et non refert, quod fiat verbis vel factis.

Si pars una velit renunciare et concludere, et altera dicat se habere, quod velit adhuc proponere: ei per judicem statuitur terminus, quo id faciat.

Ubi in causa conclusum est, ibi per judicem, nisi ex justa et legitima causa, nihil admitti debet.

Concludentes omnia quae velint, ante conclusionem in causa proponant, atque caveant, ne petitionem justae sententiae super actitatis omittant. Judices nempe non nisi implorati, sententiam ferre debent.

Causa efficiens conclusionem, est jussus judicis et partes concludentes.

Subjectum conclusionis sunt intentiones, allegationes et petitiones partium.

Objectum sunt causa et jura, de quibus per partes litigatur.

Forma, quando post allegationem et disputationem partes per se, vel jussu judicis, praesentes concludunt.

Finis est, ut judex actitata postea deliberet et secundum ea ex aequo pronunciet.

De consultatione judicum.

Titulus XXX.

Post conclusum in causa, judex cum assessoribus suis acta deliberat, et id dicitur consultatio judicis. Ea fit, quoties causa secundum suam gravitatem a judice pro invenienda aequa sententia ponderatur.

Judex nonnisi secundum allegata et probata judicare debet *(A. 39, B. 87.)*

Quoties judex de jure cum assessoribus suis dubitat, quia id expressum non habet, vel expressum non satis intelligit, vel super ejus contrarietate perplexus redditur: non est culpandus,

si superiorem vel peritiorem consuluerit. Id quod fit per relationem vel per remissionem partium ad majorem judicem. Delegatus enim ab illo debet quaerere, qui eum delegavit.

Relatio nihil aliud dicitur, nisi judicis de jure dubitantis ad Principem missa consultatio, ut cum ex Camera Appellationis super casu dubio consultatio, vulgo naučení, petitur. Quae quidem in scriptis ad cujusque relationem, ex dicta Camera Provocationum remitti solet.

Causa efficiens consultationem judicum est incertitudo juris, quod super lite debet statui.

Subjectum sunt ipsum jus et actiones tam reales quam personales.

Objectum sunt earum circumstantiae allegatae et probatae.

Forma est, quando acta cum omnibus circumstantiis a judice in secreto referuntur et singulorum judicum suffragium colligitur.

Finis est, ut super lite justa et aequa sententia habeatur.

Judices, si de jure dubitant, aut	consulunt peritiores, ut sunt jureconsulti.		
	referunt causam ad Principem vel Papam.		
	partes remittunt ad superius judicium; sic Decemviri causam	illiciti mutui praediariam praejudicialem et praesecutoriam	remittunt ad Senatum

De sententiis.

Titulus XXXI.

Habita super facto diligenti deliberatione cum peritioribus, vel facta remissione causae a Principe, judex praesentibus partibus citatis, vel una earum contumaciter se absentante, sententiam ferre debet.

Sententia est actus judicialis, per quem finis causae principali imponitur. Dicitur a sentiendo, quia judex per eam determinat, quid de ea causa sit sentiendum. Et est duplex: Interlocutoria, quae fertur inter principium causae et finem, non super principali, sed super incidentibus quaestionibus, puta, super libello ferendo vel corrigendo, super dilatione danda vel deneganda, super testibus admittendis vel rejiciendis, et similibus *(B. 86. Dist. 2.)* Definitiva, quae principalem definit quaestionem, et semper continet condemnationem vel absolutionem, expresse vel virtualiter; alioquin non valet *(B. 86. Dist 3 et 4.)*

In appellationis sententia non est necesse, quod judex dicat, „absolvo" vel „condemno," sed tantum „confirmo" vel „infirmo priorem sententiam."

Causa efficiens sententiarum sunt judices, qui eas formant.

Subjectum sunt jus et justitia.

Objectum sunt lites et controversiae.

Forma est, quando habent nomen judicis, nomen litigatorum, tenorem petitionis in judicio porrectae, substantiam et processum causae, de quibus per tabulam subsequentem.

Finis est, ut partibus jus suum ex aequo et bono per sententiam attribuatur.

Tabula de sententiis.

In omni sententia tria sunt observanda:

- 1. Requisita ad sententiam, ut
  - partes ad audiendam sententiam citentur.
  - praesentibus partibus, vel altera contumaciter absente, pronuncietur.
  - altera partium discrete vel
    - condemnetur, ut in
      - civilibus ad aliquid praestandum,
      - criminalibus ad poenam luendam.
    - ab impetitione actoris absolvatur.
- 2. Species sententiarum, quarum aliae sunt aut
  - interlocutoriae, per quas aditus ad principalem sententiam praeparatur, et quae non super principali, sed super incidenti negotio, h. inter principium causae et finem, interloquendo fieri solent (B. 86. Dist. 2.)
  - diffinitivae, per quas de principali causa pronunciatur, et quibus aliquis aut
    - condemnatur
    - ab impetitione actoris absolvitur.
- 3. Quae sententiae non transeant in rem judicatam, ut si
  - iniquitatem manifestam in se continent.
  - contra processum fori sunt latae, ut si non sunt testes producti vel instrumenta publicata coram competente foro, vel non est conclusum, ut oportuit, in causa.

De declarationibus sententiarum.

Titulus XXXII.

Nonnunquam a partibus declaratio sententiae petitur, inprimis vero, quando judicum improvidentia, vel notarii errore ambiguum vel obscurum aliquid in ea sit positum. Omnium enim habere memoriam et penitus in nullo peccare, potius est divinitatis quam humanitatis.

Hanc declarationem, alias leuterationem, quisque vel statim vel intra XIV dies, antequam lata sententia in rem judicatam transeat, per ingressum aut libellum supplicem judici porrectum, ab eo petere potest, et non denegabitur.

Causa efficiens leuterationem est judex declarans sententiam.
Subjectum est jus et aequitas.
Objectum est sententia obscura, ambigua vel imperfecta.
Forma est fori consuetudo in declarationibus sententiarum servanda.
Finis est, ut dubitans de sententia in jure suo certior fiat.

De appellationibus.

Titulus XXXIII.

Accidit nonnunquam, ut partium aliqua judicis sententia se injuste gravatam putet. Ea habet remedium appellationis, quod introductum est pro corrigenda iniquitate ac imperitia judicis et supplendo eo, quod in prima instantia fuerat omissum. Convenienter igitur de appellationibus hic dispicitur.

Appellatio nihil aliud est, quam a minori judice ad majorem, praetextu iniquitatis, provocatio *(C. 4.)*

De jure Civili appellatio est duplex: Judicialis et extrajudicialis; judicialis, quae fit in judicio ad acta publica; extrajudicialis, quae fit extra judicium, coram notario et testibus, idque in scriptis.

Appellationem oportet fieri gradatim, et ideo de Jure Prag. a judiciis Sexvirum et Decemvirum provocatur ad Senatum, a Senatu in Curiam regiam Provocationum.

Appellaturus intra XIV dies, ubi sententia lata est, impetrato ad id ingressu, se provocaturum ad superiorem judicem significet, et pecuniam pro mulcta temerariae appellationis ibidem, pro more et consuetudine, deponat; alias enim sententia in rem judicatam transiret *(C. 7.)*. Deinde intra sex hebdomadas a die depositionis pecuniae, literas dimissorias, quas apostolos vocant, petat, et editis gravaminibus suis, appellationem illam legitime prosequatur *(C. 6. Dist. 1., 3. et C. 7.)*

De jure civili Communi primo intra decendium appellatur, et illud decendium quantum ad sui progressum currit a tempore sententiae; deinde intra alios viginti dies apostoli petuntur et recipiuntur; tertio appellans coram judice appellationis se sistit et apostolos repraesentat, sed in eo certus terminus non est praefixus, nam est arbitrarius judicis a quo; quarto, appellans prosequitur et fundat appellationem intra annum vel biennium.

Modeste et salvo honore ac reverentia eorum, qui sententiam tulerunt, est provocandum, nisi quis velit mulctari quinquaginta aureis; quorum medietas Regiae Camerae et altera ipsi judicio cedit *(C. 5.)*

Pendente appellatione nihil est innovandum, et si quid innovatur, per viam attentati rejicitur *(C. 8.)*

Expedita appellatione, si partium aliqua ad audiendam appellationis sententiam post secundam citationem non comparet, nihilominus publicatur, et contumaciter absens sibi appellatione adjudicatis privatur *(C. 10. Dist. 3.)*

Causa efficiens appellationem est pars appellans.

Subjectum sunt gravamina.

Objectum est sententia judicis, a quo.

Forma est fori consuetudo, quae in ea prosequenda servatur.

Finis est, ut corrigatur judicis imperitia et iniquitas, ac pars oppressa sublevetur.

De executione sententiae.

Titulus XXXIV.

Nemini non compertum est, parum esse sententiam ferre, nisi et ipsa executioni mandetur. Igitur nunc de executione sententiae sequitur.

Omnis sententia, quae de jure valet et quae per appellationem non est suspensa, debet exequi. Quocirca victor in causa, ubi sententiam in rem judicatam transiisse animadverterit, ejus executionem a judice debet petere *(C. 21. G. 29. Dist. 1. H. 26 in fine.)*

Executor est, qui post sententiam inter partes audita omni et discussa lite prolatam, rei judicatae vigorem ad effectum videtur adducere.

In petenda executione non est opus libelli editione aut litis contestatione. Sed si victus non satisfacit victori, tum postquam sententia in rem judicatam transivit, per judicem, ut intra triduum satisfaciat, compellitur. Quod si nec tunc satisfecerit, postremo ad solis occasum ei satisfactio injungitur; quam si ne tunc quidem praestiterit, in carcerem conjicitur, donec persolvat *(C. 22.)*, nisi forte ad spatium duarum hebdomadarum idoneos fidejussores dederit, qui post illud tempus, in numerata pecunia, victori satisfactum iri promittant *(C. 22. cis finem.)*

Causa efficiens executionem est judex, eam fieri mandans.

Subjectum est sententia, quae in rem judiciatam transiit.

Objectum est persona et bona illius, contra quem exeqnitur.

Forma est consuetudo, quae in executione servatur.

Finis est, ut victor suum consequatur.

De expensis seu viatico repetendo.

Titulus XXXV.

Communis regula traditur, quod victus victori indistincte in omni causa, tam civili quam criminali, in expensis con-

demnari debeat. Igitur penultimo loco de expensis subjicitur *(A. 51.)*

Expensae, de quibus hic loquimur, nihil aliud sunt nisi sumptus necessarii, facti in judicio circa litis prosecutionem *(C. 19.)*

Expensae, quae fiunt extra judicium, circa rem mobilem vel immobilem, sunt aut necessariae, quae si non fierent, res esset omnino peritura, vel deterior futura; aut utiles, quae rem faciunt meliorem, et deteriorem esse non sinunt; aut voluntariae, quae rem exornant, ut picturae, viridia, aquae salientes etc.

Expensas taxatas et juramento victoris probatas, omni modo victus tenetur refundere, nisi legitimam ac probabilem litigandi causam habuerit *(Jus Prov. M. 7.)*

In causa expensarum judicialis fit taxatio, et si pars victrix ejusmodi taxationi reclamaverit, dixeritque se plus necessario expendisse, eo in casu per judicem ei juramentum defertur.

Pars vincens intra XIV dies, postquam lata sententia in rem judicatam transivit, partem victam ad judicium decemvirum (quo haec actio de Jure Prag. pertinet) citare, et de expensis convenire debet, dum tamen protestationem (quam nos autof vocamus) in dicto judicio tempestive, antequam pro se lata sententia in causa principali, ad rem judicatam transiverit, interponat *(C. 14.)*

De jure Civili idem judex, qui in causa principali cognovit, quoque fert sententiam de expensis, inprimis si fuerit requisitus; nam si non judicaverit simul de expensis, illae amplius peti non possunt. Quum enim tales expensae ortum habuerint propter litem, finiuntur et moriuntur cum ipsa lite, per regulam: „Ne lis oriatur ex lite."

Sententia de expensis, ad triduum executioni mandatur, nec expectatur XIV dies, ut in causa principali *(C. 15. ad fin.)*

Causa efficiens expensarum est lis principalis, circa cujus judicialem prosecutionem sunt factae.

Subjectum sunt jus et materia, aurum vel argentum, in quae persolvuntur.

Objectum est pars, cui refunduntur.

Forma, quod jure actionis et officio judicis petuntur ac persolvuntur.

Finis est, ut temeritas litigantium compescatur et victor suum ricipiat.

De arresto.

Titulus XXXVI.

Quia in fine hujus processus in mentem venit, supra in Titulo de citatione nullam mentionem arresti seu citationis realis, aut potius manuum injectionis, esse factam, et ejusmodi arresta in foro nostro non parvum usum habeant: postremo

igitur Titulo, formam arresti et illius effectum, veluti Colophonis loco, subjicere placuit.

Arrestum vel arrestatio nihil aliud est, nisi personae aut bonorum alicujus, ex aliqua obligatione, praecipue vero ex contractu debiti, per mandatum judicis, ne moverentur de loco, donec conquerenti respondeatur, procedens interdictio *(L. 17. Jus Prov. S. 1. in fine.)*

Denominatur a Graeco ἄῤῥαιςον, quod incorruptum inviolatumque significat; vel est vox gallica, impedimentum sive interdictum, ne res aut persona loco aut statu moveatur, denotans.

Antequam de jure nostro arrestum fit, semper prius de debito certiorandi veniunt per literas domini directi suorum servorum et subditorum, vel juratae civitatum personae suorum civium. Iisque rogatur, velint domini suos servos vel subditos, jurati vero civitatum suos cives, ad solutionem debiti, ex hoc vel illo contractu emersi, admonere. Eo facto, si fuerit debitum liquidatum, tenentur domini suos subditos, et jurati suos cives spatio XIV dierum ad solutionem compellere. Si vero intra id tempus non fuerit alicui satisfactum, jam poterit, quoscunque invenerit, domini certiorati subditos, vel civitatis cives, pro dicto debito arrestare *(L. 26. Jus. Prov. S. 1. et S. 2.)*

Hoc fallit in debitoribus et fidejussoribus confessionatis, qui debitum vel subsidionem non negant. Ejusmodi enim, ubicunque locorum inveniuntur, illic jure arresti conveniri possunt *(L. 19, L. 26. Jus Prov. S. 3.)*

Arrestum in termino sex hebdomadarum, numerando a die arrestationis, robur et vim suam recipit. Si itaque aliquid habes, quod contra arrestum excipias, id fac, prius quam illud tempus elabatur *(L. 21.)*, aut, si potes, illum, cujus causa arrestatus est, illi foro, ubi arrestum est, intra illud spatium praesenta *(L. 22.)*

In eos qui legationis munere funguntur, aut qui reipublicae causa ad Caesaream Majestatem mittuntur, arrestum non cadit. *(L. 25.)*

Res domini, ob aes a servo contractum arrestari non debent; is enim arrestandus est, qui contraxit et obligatur *(L. 30.)*

Extranei et peregrini a suis hospitibus possunt arrestari in id, ad quod sunt obligati *(L. 27.)*

Causa efficiens arrestum, est creditor, qui aliquid juste debetur.
Subjectum est jus creditoris, qui petit arrestationem.
Objectum est res vel persona debitoris arrestanda.
Forma est modus arrestationi praescriptus.
Finis, ne res vel persona loco aut statu suo moveatur, nisi rebus cum arrestante compositis.

Finis

Processus Juris Municipalis Pragensis.

De maleficiis seu obligationibus,

quae ex delicto vel quasi (ex delicto) nascuntur.

Absoluto juris ordinarii processu, delictorum speciem seu ideam eorumque poenas, licet crassa, quod aiunt, Minerva, pro ingeniolo meo hic quoque ex jure nostro paucis delineare volui. Eo enim pacto judicavi, quod non iste solum Aubanus Teutobohemus, verum etiam alii qui gentem Boemam falso accusant, quod nullis legibus, nullis sanctioribus institutis utatur, conticescent; praesentim ubi animadverterint, delictorum observari discrimina et permulta ipsorum atrocissimis in hoc inclyto regno vindicari poenis. Primum autem praemittam, quid sit poena, qualiter delinquatur, quomodo in delictis procedatur et quot sint delictorum apud nos genera.

Est autem poena nihil aliud quam severa vindicta, qua puniuntur delinquentes *(M. 1.)*

Inter mulctam et poenam hoc interest: Poena est generale nomen et omnium delictorum coercitio; mulcta vero dicitur speciale nomen peccati, cujus animadversio hodie pecuniaria est. Poena ad ordinaria, mulcta vero ad extraordinaria delicta, quae videlicet aestimatione judicis irrogari solet, referri potest.

Poenarum genera sunt, quae aut vitam adimunt, aut servitutem injungunt, aut civitatem auferunt, aut exilium, aut coercitionem corporis continent, veluti fustium admonitio, flagellorum castigatio, vinculorum verberatio, aut damnum cum infamia, aut dignitatis aliqua depositio, aut alicujus actus prohibitio *(M. 2.)*

Vita adimitur, si damnatur aliquis gladio, hoc est capitaliter. Servitus injungitur, si quis in metallum vel opus metalli damnatur et quando quis ad triremes mittitur. Civitas aufertur, quando damnati in insulam deportantur, et ibi jure civitatis amisso, suorum delictorum poenam luunt; deportationem autem omnium bonorum publicatio sequitur. Jureconsulti eam minorem vel mediam capitis diminutionem vocant. Exilium vero continet relegationem et bannimentum, quando quis ad tempus vel perpetuo fines patriae exire jubetur; et differt a deportatione, quod relegatio et exilium existimationem consumat, deportatio vero eam tantum minuat. Deportatus, bannitus vel relegatus, si indulgentia principis restitutus fuerit, tum per omnia pristinum statum recipit. Et si intra tempus praescriptum revertitur, sicque factam transactionem fregerit, priores digiti, quibus juravit, ipsi amputari debent *(ex Const. Caroli V. de capit. caus. c. 108.)*

Delinquitur autem: Aut proposito, et ita delinquunt latrones, qui factionem habent. Aut impetu, quum per ebrietatem et iram ad manus vel ad ferrum venitur. Aut casu, ut si in venando telum in feram missum, hominem interficit. Aut facto, ut qui non lacessitus propria autoritate in quempiam irruit, insolentiamque aliquam committit *(M. 6. Dist. 2., 3., 4. et 6.)* Et non solum delinquit qui malefacit, sed et is qui malefico consilium, opem et auxilium, occultando ipsum et judicio non tradendo praestat; item, qui maleficum recipit, vel rem furtivam scienter ab eo emit. Talis nempe socius criminis dicitur, eademque poena cum principali punitur *(H. 11. Dist 3. U. 31. Dist. 2. N. 8 et 9. P. 5. et 6. Jus Prov. L. 17. L. 24. L. 33.)*

Quum in maleficiis semper praesumatur plus dolus quam casus et attendatur praecipue animus delinquentis magis quam actus, siquidem voluntas et propositum distinguunt maleficia: ideo in delictis, quoad poenam imponendam delinquenti, ut plurimum considerandae sunt circumstantiae, de quibus vide *M. 5., 8., 9., 10., 11. et 12.*

Impunitas delicti propter aetatem non datur, si modo in ea quis sit, in quam crimen, quod intenditur, cadere potest.

Licet ex generali consuetudine non ita puniatur delictum attentatum, sicut consummatum, sed mitius: apud nos tamen punitur affectus, etsi non sequatur effectus; praesertim si affectus per indicia et signa exteriora declarari potest *(M. 6. Dist. 5. N. 29. N. 30. Dist. 1. N. 33., 48., 49.)* Huc illud vulgare: „Quicquid agunt homines, intentio judicat omnes."

Ejusmodi affectus probari et declarari potest: Aut ex indiciis propinquis, quae respiciunt principaliter ipsa facta, ut unus testis de viso vel confessio facta per reum extra judicium; aut remotis, quae non respiciunt principaliter ipsum factum, ut quando homo est malae famae etc.

Prospiciendum est etiam judicanti, ne quid aut durius aut remissius constituatur, quam causa deposcit. Nec nempe aut severitatis aut clementiae gloria affectanda est, sed perpenso judicio, prout quoque res expostulat, statuendum est. Et in levioribus causis plane proniores ad lenitatem judices esse debent; in gravioribus poenis severitatem legum, cum aliquo temperamento benignitatis, sequi oportet *(M. 17. Dist. 4. M. 19. Dist. 1. A. 37. Dist. 5.)* Hinc commune illud: „Glimphius est pluris, quam tota scientia juris." Et aliud poetae: „Omne nocet nimium, servant mediocria vitam."

In puniendis delictis judices semper de Jure nostro verborum Constantini, Licinii et Honorii Imp., quae allegantur sub litera *M. 17. Dist. 4.*, memores esse debent: „Placuit in omnibus (inquiunt illi) justitiae aequitatisque scriptae potiorem esse

autoritatem, quam stricti juris. Si itaque Imperator jusserit aliquem puniri severius, judex debet usque ad triginta dies diferre, antequam reus poenam subeat aut eum sententia excipiat.

Defuncto eo qui reus fuit criminis, poena quoque extincta est *(P. 31. Dist. 1.)*. Idem intellige de defuncto accusatore *(P. 31. Dist. 2.)*, nisi quis delictum jure persequi velit. Crimen enim, a cujus accusatione quis destitit vel victus recessit, alius persequi non prohibetur *(P. 31. Dist. 3.)*

Ex maleficiis poenales actiones in heredem rei non competunt, veluti furti, vi bonorum raptorum, injuriarum, damni etc. Sed heredibus hujusmodi actiones competunt nec denegantur, excepta injuriarum actione, et si quae alia similis reperiatur.

Peccata suos tantum tenent autores, quia ubi noxa est, ibi et poena esse debet, ac unusquisque ex suo admisso sorti subjicitur, nec alieni criminis successor constituitur. Hinc illud vulgare: „Nullus plectatur, nisi qui peccator habetur" *(M. 14., 15., 16. et P. 28.)*; sic delicta parentum non nocent liberis, et ideo poenis eorum non tenentur *(M. 15. P. 28.)*.

Jureconsulti in solvenda quaestione, utrum filius teneatur respondere pro patre quoad delicta, utuntur tali distinctione; videlicet esse quadruplicem querelam: Primam, quae vergit ad poenam sanguinis; secundam, ex delicto parentis; tertiam, pro injuriis; quartam, si pater defunctus alicui damnum intulerit, puta furto, praeda, rapina et aliis modis; tum in tali casu filius tenetur, in quantum locupletior inde est factus. Explorati enim est juris, neminem debere locupletari cum injuria alterius *(M. 16.)*

In causis criminalibus proceditur trifariam: Vel per accusationem; vel per denuntiationem; vel per inquisitionem *(Jus Prag. P. 27.)*

Per accusationem proceditur, ut quando accusator existit, sine quo nemo punitur, juxta illud Domini: „Mulier, ubi est qui te accusat?" Et tunc omnia fiunt quemadmodum in civilibus; nisi in crimine laesae Majestatis et aliis publicis judiciis, quae nocent reipublicae, in quibus accusator poenae talionis, si non habeat justam causam, qualem habere censentur consanguinei, qui crimine publico affecti sunt, experiundi criminis, subjicitur *(M. 26.)*

Per denuntiationem, quando quis per officiales specialiter ad id deputatos de crimine aliquo denunciatur. His quidem in levibus, non autem in gravioribus criminibus est credendum. Et si apparuerit illos calumniose denunciasse, puniendi erunt per judicem poena extraordinaria.

De Jure Canonico quilibet qui honesto zelo movetur ad denunciandum, audiendus est, si prius denunciatum admonuerit, ut se corrigat.

Per inquisitionem, quando judex personam accusatoris et judicis simul sustinet, et ita ex officio contra aliquem inquirit. Hoc autem casu necesse est, contra quem per modum torturae inquiritur, de crimine esse diffamatum, et quod fama traxerit originem a fide dignis viris. Reipublicae enim multum interest, siquidem ea in causa periclitatur valetudo hominis, ne levibus de causis aliquis accusatus aut suspectus, torturae et quaestionibus subdatur. Vide de eo *S. 19. et S. 21.*

Inquisitio aut est generalis, quoad personas et delictum, quam faciunt officiales in ingressu sui officii; aut specialis, quoad personas et delicta.

In criminalibus probationes debent esse luce meridiana clariores, et testes omni exceptione majores *(M. 23.)*

Satius est relinqui impunitum facinus nocentis, quam innocentem condemnare. Id est, tutius est, ex conscientia aliquem dimittere, quam in dubio occidere *(S. 20. Dist. 3.)*

Notandum hinc, praecipitis consilii saepe asseclam fieri poenitentiam. Qui nempe cito judicat, is ad poenitentiam properat *(M. 24.)*. Huc illud poetae:

> Judicium praeceps, insani est judicis index,
> Omnia sunt longis discutienda moris.

Bona damnatorum seu proscriptorum non cedunt fisco, sed reservantur succedentibus ab intestato, exceptis quibusdem casibus.

Veteri jure bona eorum, qui conscientia delati, admissique criminis metu futurae sententiae manus sibi intulerant, fisco vendicabantur.

Quae sint delictorum species et quibus poenis singulae vindicentur, haec tabula demonstrat:

Tabula de speciebus delictorum.

Delicta sunt aut	ordinaria, in quibus certa poena lege constituitur (M. 3. et 19. Dist. 2.) Et sunt aut	publica, quorum jus ad disceptationem status publici tendit, ut crimen	Laesae Majestatis, adulterii, sub quo stuprum et raptus Vis publicae, privatae Illiciti mutui et partitorum Homicidii, sub quo parricida Violationis sepulchrorum Falsi Ambitus Receptationis latronum Etrietatis
		privata, quibus privatae vitae affligitur commodum, ut	Furtum, sub quo plagium Lex Aquilia, sub qua famil. et pauperies quadrupedum Injuria, sub qua convicium et contumelia.

aut	extraordinaria, quibus imponitur poena pro modo delicti arbitrio judicis (M. 4. Dist. 2. M. 19. Dist. 1. P. 23.). Horum species sunt:	Peculatus Repetundarum Seditio Concussio Praevaricatio Stellionatus Abigeatus Incendium.

De publicis delictis ordinariis,
et primum de crimine laesae Majestatis.

Crimen laesae Majestatis est illud, quod contra Imperatorem vel republicam aut statum illius comittitur. Quo tenetur de nostro jure et is, cujus ope, consilio, dolo malo, adversus communem tranquillitatem aliquid molitur; veluti, si quis perduellionis reus est et procurat, ut armati homines cum telis lapidibusve in urbe sint conveniantque adversus rempublicam, et similia *(M. 27.)* Poena hujus criminis amissionem vitae, famae et bonorum sustinet *(N. 3. Jus. Prov. K. 30 et K. 41.)*

Huc pertinet et blasphemia in Deum seu crimen laesae Majestatis Divinae, quod punitur extractione linguae per cervicem *(M. 2.)*

De Jure Caesareo crimen laesae Majestatis etiam post mortem nocentium instaurari vel inchoari potest.

De adulteriis, stupro et raptu.

Adulterium dicitur quasi transitio ad alterius thorum. Committitur in nuptas et punitur gladio *(M. 29.)*. Stuprum est illicitus coitus cum virgine vel vidua honeste vivente; estque aut voluntarium, quod fit volente virgine vel vidua *(M. 30. Dist. 1.)*, aut violentum, quando virgines vel viduae per vim opprimuntur. Et hoc aliquando habet sibi annexum raptum *(N. 30. Dist. 2.)*. Stupri voluntarii poena est virgarum castigatio *(M. 30. Dist. 1.)*; violenti autem est decollatio aut rotae impositio, praesertim quando sunt personae viliores *(M. 34.)*

De Jure Caesareo lex Julia de adulteriis poenam irrogat stupratoribus, si honesti sunt, publicationem partis dimidiae bonorum; i humiles, corporis coercitionem cum relegatione. Quod tamen intellige, quum quis sine vi vel virginem vel viduam honeste viventem stupraverit; nam si per vim raptus virginis vel viduae vel sanctimonialis fuerit perpetratus, tunc et raptores et ii qui opem huic flagitio dederunt, capite puniuntur. Nefarios enim ejusmodi coitus — ut inquit Imperator — poenis corrigi, non praemiis honorari convenit.

5*

Licet Jure Caesareo gravissime interdicatur, ne rapta raptori legitimo matrimonio copuletur, tamen de Jure nostro, quod in eo sequitur Canones, si vult rapta, id admittitur; sumpta tamen prius poena de raptore, arbitrio judicum imposita *(M. 36.)*

Textus Juris Caesarei talis est: „Meminerimus itaque pro raptu mulierum, sive jam desponsatae fuerint vel maritis conjunctae, sive non, vel etiam si viduae sint, legem antea posuisse et capitali supplicio subjecisse non tantum raptores, verum etiam comites eorum, nec non alios, qui eis auxilium tempore invasionis contulisse noscuntur“ etc. Paulo post: „Illo specialiter adjecto, ut nulla sit mulieri vel virgini raptae licentia, raptoris eligere matrimonium, sed cui parentes voluerint, excepto raptore, legitimo matrimonio copulari etc. Sancimus itaque, si rapta mulier cujuscunque sit conditionis vel aetatis, raptoris nuptias eligendas esse censuerit, parentibus praesertim non consentientibus, nec ex beneficio legis nec ex testamento raptoris hereditatem suscipere, vel quocunque modo substantiam vindicare etc. Nam nefarios hujusmodi coitus corrigi, non praemiis honorari convenit. Quod si parentes hujusmodi sceleri consenserint, substantia raptoris et aliorum, qui sceleris participes erant, fisci juribus vindicetur. Quam interpretationem non in futuris saltem casibus, verum et in praeteritis valere sancimus“ etc. — Et in Codice inquit: „Raptores virginum honestarum vel ingenuarum, sive jam desponsatae fuerint sive non etc., capitis supplicio plectendos decernimus etc. Nec fit facultas raptae virgini vel viduae, vel cuilibet mulieri, raptorem suum sibi maritum exposcere; sed cui parentes voluerint, excepto raptore, eam legitimo copulent matrimonio, quoniam nullo modo, nulloque tempore a Nostra Serenitate datur licentia eis consentire, qui hostili more in Nostra republica matrimonia student sibi conjungere etc.“

Huc pertinent: 1. Incestus, qui est consanguineorum, ut ascendentium et descendentium vel collateralium proximorum abusus, et imponitur incestuosis gravior poena quam adulteris *(N. 1.)*

2. Lenocinium, cum quis quaestum ex adulterio stuprove uxoris filiaeve suae, aut aliarum virginum vel viduarum facit. Hoc flagitium quoque capitis supplicio coercetur. *(N. 2.)*

3. Peccatum contra naturam; si quis cum masculis vel brutis nefandam libidinem exercere audet, tum quoque gladio punitur. De consuetudine autem nostra tales ad rogum condemnantur.

Maritus uxorem, pater filiam, impune potest occidere, si uxorem in adulterio vel filiam in stupro deprehenderit *(M. 39.)*

De vi publica.

Vis publica, quam nos vulgari sermone moc appellamus, dicitur, quando cum armis violentia committitur. Ejus species apud nos multae sunt:

Prima, si quis in hoc inclyto regno manu armata alicujus bona, arces, oppida, fundos, vineas, hortos, feudum et alia bona allodialia, ingreditur et non jure possidet *(N. 3. Jus Prov. L. 3., 4., 5., 11.)*. Quum nemini liceat arma sumere nisi legibus administrantibus, aut ad sui defensionem, ideo qui arma sumunt ad invadendum alios vel aliorum bona, non modo illis in quos ea stringunt, verum et reipublicae, cujus interest arma non moveri, vim inferre dicuntur.

Tales violatores juris mulctantur famae, capitis et bonorum amissione, quae regio fisco applicantur *(N. 3. Jus Prov. L. 5.)*

De Jure Communi poena est deportatio, si est persona libera; si vero serva, damnatio in metallum; idque si metu et exhortatione domini vim publicam commiserit. Nam si inscio domino criminis reus est factus, ultimo supplicio afficitur.

Secunda species, quae vulgo kwalt, weybog, autok dici potest, est, quando quis cum telo in aedes alicujus irruit, impetum facit, armatus aliquem insequitur, fores effringit, aliquem illic verberat, laedit, vulnerat, interficit, et simile quid committit. Talis cum eo qui auxiliatus est, capitaliter apud nos punitur *(N. 11. et N. 12.)*. Hac tamen poena eximitur, qui ex alterius domo conjugem liberos, clientes, famulos, famulasve repetens, aliquem contradicentem aut impedientem ibi fortuito laeserit; licet pro aestimatione excessus teneatur *(N. 13.)*

Tertia species videtur esse, quam nos weytržený skutek, weytržnost dicimus, quando quis solus vel cum aliis gladium suum vibrat et corpori alicujus nocere conatur, licet non vulneravit *(N. 19. Jus Prov. L. 36.)*; item si quempiam quis equo dejicit *(N. 21. Jus Prov. L. 37.)*; vel nuntium sive tabellarium percutit, et ei literas aufert *(N. 22. Jus Prov. L. 38.)* Hujusmodi delinquentes pro ratione circumstantiarum arbitrio judicis puniuntur *(N. 25. Dist. 1.)*

Cum liberum corpus nullam recipiat aestimationem, et cicatricum ac deformitatum vix fieri possit sufficiens compensatio: judices in eam curam et cogitationem incumbere sedulo debent, ut tales excessus potius amica transactione, quam judiciali processu tollantur *(S. 14.)*

Quod quis ob tutelam sui corporis fecerit, id jure fecisse existimatur, et ideo extra noxam habetur; qui dum vim atque injuriam alterius a se propulsans, aliquem interficit *(N. 44.)*

Est haec lex non scripta, sed nata, quam non didicimus, accepimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, ut si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, in tela latronum aut inimicorum incidisset, omnis ratio honesta esset expediendae salutis. Imo duo sunt injustitiae genera: Unum eorum, qui inferunt; alterum eorum, qui illatam injuriam a se non propulsant. Qui nempe se non defendit nec obsistit injuriae, dum potest, tam est in vitio, ac si parentes, amicos aut patriam proderet.

De vi privata.

Vis privata committitur, quando quis sine armis, in alterius res vel corpus impetum facit; ut si quis id quod sibi deberi putat, non apud judicem, sed manu sua reposcat, aliisque eripiat. Vel si quis sine judicis autoritate res debitoris occupet, bona litigiosa per judicem sigillata reseret et sigilla publica in juris contemptum laceret. Et talis apud nos poenam capitis incurrit *(D. 38.)*. De Jure civili Romano vis privata tertia parte bonorum et infamia mulctatur.

Huc pertinet etiam excessus, quem vulgo pyd appellamus; veluti si quis in silva alterius ligna secat, gramen in fundis alienis defalcat, arbores et vites in vineis effodit, in fluminibus alienis piscatur, aut servitute interdicta non abstinet. Hujusmodi mulctantur decem sexagenis grossorum, et damnum pro aestimatione judicis per eos resarcitur *(Q. 1. Dist. 1. Jus Prov. L. 41.)*

Qui de nocte taliter delinquunt, furti supplicio tenentur, si fuerint subditi *(Jus Prov. L. 43.)*

Qui terminis motis et alio sine possessoris consensu translatis, agros vel fundos mutat, mulctatur 20 sexag. gr. *(Q. 2. Dist. 1. Jus Prov. L. 45.)*

De Jure Caesareo movens terminos finium causa positos, mulctatur quinquaginta aureis.

De usuris et crimine partitorum.

Usura nihil aliud est, nisi id quod rei mutuatae accedit ipsius rei usus gratia. Nemo enim cogitur de proprio esse beneficus, si nolit. Quicquid itaque ultra sortem pro usu rei, mutuato petitur, id pro usura habetur.

De Jure Civili usurae aliae erant majores, dictae centesimae, ex eo quod centesimo mense aequabant sortem. Apud veteres nempe non annuae sicut apud nos, sed menstruae erant. Et tales hodie in trajectitia saltem pecunia admittuntur. Aliae vero erant minores, in quibus illustres in anno de centum aureis quatuor aureos, mercatores octo aureos, aliae vero personae

reliquae, saltem de centum aureis senos aureos singulis annis obtinebant; quod et apud nos servatur *(Jus Prov. P. 1.)*

Quum usurae debeant esse pactae certa quantitate a legibus definita, apud nos Constitutione Provinciali sub litera *P. 1.* cavetur, ne quis pro centum sexagenis grossorum mutuo alicui datis plus quam senas sexagenas quotannis nomine usurae accipiat. Secus faciens infamia notatur et omni juris beneficio excluditur; imo et pecuniam sub illicita usura creditam amittit *(O. 7. Jus Prov. P. 1.)*

Ejusmodi illicita usura de Jure Provinciali fit trifariam: Primo quidem modo dicto, si quis plus quam senas sexagenas grossorum pro centum sexagenis gross. accipiat. Secundo, si quis ultra solitam usuram, a debitore vestes, equos, pellicia et id genus mercium majoris pretii, recipiat. Tertio, si quis monetam argenteam vel auream majoris, quam valet, per se aestimatam, mutuaverit.

Anno Salutis 1575 fer. 3. post Matthaei in Synodo celebrata, crimen partitorum, quod variis modis committitur, sub poena ammissionis famae, vitae et facultatum est interdictum.

Licet de Jure nostro usura et interesse nonnunquam confundantur, tamen proprie interesse dicitur lucrum cessans et damnum ex mora debentis emergens, ut si inter contrahentes aliquid non praestetur promissum *(H. 35. H. 36.)*

De homicidio.

Homicidium notius est quam ut definiatur. Et dicitur quasi hominis occisio. De jure nostro est aut atrox, quod spolium vel rapinam conjunctam habet, morð; aut minus atrox, quod rapina caret, wražda. *(N. 28.).* Primae speciei homicida equo alligatus, ad supplicium trahitur et contusis ossibus rotae imponitur *(N. 30.)*; posterioris vero speciei saltem gladio punitur *(N. 31. Dist. 1. & 3.)*

Homicidium committitur multis modis: Telo, ut dictum est; veneno, ut si quis mala potione aliquem extinguat, vel foetum illicitis mediis virgo aut vidua expellat aut in latrinam vel pateum demittat *(N. 35.)* Ejusmodi homicida pro aestimatione judicum capitaliter punitur *(N. 36.).* Is quoque homicidium committit, qui mandat vel causam praebet, ut aliquis interficiatur *(N. 32. N. 52.)*

Qui aggressorem, vel quemcunque alium in dubio vitae constitutus, occiderit, poena homicidii non tenetur. Defensor nempe propriae salutis in nullo peccare videtur *(N. 16. S. 16.)*

Huc illa pertinent:
Pellere vim vi, jura sinunt, et vulnere vulnus.

It. Vim vi jura sinunt, fraudemque repellere fraude,
Exemploque licet ludere quemque suo.

Et illa Ciceronis, quae supra Tit. de Vi publica posuimus.

Nec is poenam homicidii sustinet, qui non voluntate, sed casu fortuito, eo locorum ubi hominibus aditus est reclusus, aliquem interficiat, licet pecuniaria mulcta teneatur *(M. 6. Dist. 4. N. 46. Dist. 1.)*

Excipe, si in via publica aut vico, qua homines transeunt, casu fortuito sine dolo quem occidisti; licet occisum antea non videris, tamen culpae homicidii reus es *(N. 47.)*

Si baro, eques vel civis alicui domino subditum interficiat, mulctatur trecentis sexagenis gross., quarum duae partes liberis vel amicis occisi, tertia vero domino directo adjudicatur. Si autem totam summam dominus interfecti apud se retinet, tenetur conjugem, liberos vel amicos interfecti manumittere, et illi poterunt vel sine domino manere, vel alium pro libito vicissim eligere *(N. 42. Dist. 1. Jus Prov. K. 35.)*. Hoc privilegio homo servus aut rusticus non gaudet, verum si in flagranti crimine, aut quod dicitur, in ipso facto comprehensus fuerit, statim condemnatur et capitis supplicio afficitur. Secus fit in conjecturis *(Jus Prov. K. 35.)*

Quum pro homicidio patris, plus competat liberis agere, quam uxori, ideo libellus accusatorius et liberos ipsos continere debet *(N. 57.)*. Hoc fit ideo: Uxor nisi voluerit, alium maritum potest habere, liberi vero alium patrem habere non possunt. Relativa nempe posita se ponunt, et perempta se perimunt.

Quia secundum Constitutionem Carolinam noxa caput sequitur, idcirco actionem homicidii illic ubi reus domicilium habet, persequimur *(N. 39. Jus Prov. A. 7. X. 10 et in seq.)*. Ad hoc privilegium extranei, peregrini, servi, subditi et id genus alii non pertinent *(N. 43. Jus Prov. K. 36.)*

Parentes suos liberos, aut cognati amicos, qui aliquod homicidium aut maleficium perpetrarunt, non diutius nisi diem et noctem recipiant, nisi ipsi quoque eadem poena, qua homicidae, velint puniri *(Jus Prov. K. 33. circa finem)*.

Licet duae partes bonorum fugitivi homicidae et intra annum non revertentis, liberis aut amicis occisi, tertia liberis vel amicis fugitivi relicta, adjudicentur, non tamen per id homicida, et qui opem ei tulerunt, liberantur, sed quocumque tempore conveniri possunt *(N. 41. Dist. 3. Jus Prov. K. 34. circa finem)*.

Pertinet huc foedissimum crimen parricidii, quod committitur, si quis in parentis aut filii aut filiae aut omnino affectionis

ejus, qui nuncupatione parricidii (ut sunt frater, soror, patruelis, patruus, avunculus, amita, consobrinus, consobrina, uxor, maritus, gener, socrus, vitricus, privignus, privigna) continetur — fata praeparaverit, sive clam, sive palam id enisus fuerit, poena parricidii puniatur, et neque gladio, neque ignibus, neque ulli alii solenni poenae subjungetur, sed insutus culeo cum cane et gallo gallinaceo et vipera et simia, et inter eas ferales angustias comprehensus, serpentium contuberniis misceatur, et ut regionis qualitas tulerit, vel in vicinum mare vel in amnem projiciatur; ut omni elementorum usu vivus carere incipiat et ei coelum superstiti, terra mortuo auferatur *(N. 27. Dist. 3.)*

Infans vel furiosus, si homicidium vel parricidium commiserint, lege Cornelia non tenentur. Alterum nempe innocentia consilii tuetur, alterum fati infelicitas excusat; furiosus namque satis ipso furore punitur *(N. 31. Dist. 2.)*

De violatione sepulchrorum.

Si quis dolo malo sepulchrum alicujus violaverit, et inde vel corpus mortuum, vel ossa, vel aliquid aliud abstulerit, in poenam capitalem incurrit *(O. 3.)*

De Jure Communi decem pondo auri tenetur fisco ejusmodi violator inferre.

De crimine falsi.

Crimen falsi dicitur, quando veritas fraudulenter et dolose in mendacium mutatur *(O. 5. Dist. 1.)*. Committitur quadrifariam: Primo, ubi aliquis falsum testimonium ex mercede certa vel alia simili causa dicit, et in eo veritatem caelat *(O. 5. Dist. 2.)*. Secundo, si quis in testamentis, tabulis et instrumentis publicis vel etiam privatis aliqua contra voluntatem principalium, quorum interest tabulas integras vel instrumenta habere, deleat, immutet vel sigillis falsis muniat *(O. 5. Dist. 3.)*. Tertio, si quis publicam monetam radat, tingat, fingat, mensuras publicas, vendendo et emendo, non probatas habeat illisque utatur *(O. 5. Dist. 4.)*. Quarto, si quis falsis instrumentis et nummis sciens utitur et mercatur; item, si quis se pro milite, doctore vel nobili gerat, falso diplomate utatur, quo tuto commeare aliquo possit, vel qui suum nomen in alterius fraudem mutat *(O. 5. Dist. 5.)*

Poena falsarii testis est linguae per cervicem extractio *(B. 75. I. 39.)*. Qui instrumento per solutionem annullato alicui, data opera, negocium facesserit, uti perduellis mulctatur, et non tantum infamis efficitur, sed etiam bona ipsius fiscus fibi vendicat *(O. 6. Jus Prov. O. 32.)*

De crimine ambitus.

Crimen ambitus committitur, quando quis pecunia facit se eligi ad aliquam administrationem vel dignitatem. Hujus poena est de Jure Communi deportatio, apud nos vero talis redditur infamis *(O. 8.)*

De Jure Provinciali, qui crimine ambitus notatur, non tantum fit infamis, verum etiam supplicio capitali et amissione bonorum punitur *(Jus Prov. B. 12.)*

De receptatione et occultatione latronum.

Receptatores puniuntur eadem poena, qua illi, quos occultant *(O. 30.)*

Jure Caesareo pessimum genus receptatorum habetur, sine quibus latere nemo diu potest; et praecipitur, ut perinde puniantur atque malefici, nisi forte vel affines vel cognati eorum fuerint. Nam hi neque absolvendi neque severe admodum sunt puniendi; non enim par est horum delictum et eorum, qui nihil ad se pertinentes maleficos recipiunt. Ac in pari causa habendi sunt, qui cum apprehendere maleficos possent, pecunia accepta vel surreptorum parte, eos dimiserunt.

Si quis cognatus apud nos maleficum ad se receperit, diem ac noctem eum quidem occultare potest, sed postea depellere eum jubetur *(Jus Prov. K. 33. in fin.)*

De poena ebrietatis.

Anno 1556 fer. 4. post Quasimodo Dominicam in Comitiis celebratis in praesentia imperatoris Ferdinandi, ab omnibus statibus regni Boemiae statutum et receptum est, ut si quis aliquod poculum magnum, plenum vel medium, alicui praebibat, mulctetur decem sexagenis grossorum.

Convictus de ebrietate in Judicio Provinciali Minore, iis temporibus, quae taxandis litium expensis de jure sunt praefixa, comparere et praedictam mulctam persolvere cogebatur. (O utinam Deus ejusmodi pestem a nobis averteret, nosque potius faceret suae sanctae sobrietatis et misericordiae organa! Qui nempe alterum cogit, ut se plus quam opus est, inebriet, secundum Augustinum minus malum illi erat, si carnem ejus vulneraret gladio, quam animam per ebrietatem necaret. Huc illud vulgare: Ebrietas frangit, quicquid sapientia tangit.)

De delictis privatis ordinariis,
et primum de furto.

Furtum nihil aliud est nisi contrectatio fraudulenta rei alienae, mobilis, corporalis, vel etiam usus ejus, possessionisve, quae fit animo lucri faciendi, invito domino *(P. 1.)*

Furtum dicitur a furvo seu nigro, quod clam et obscure fiat, et plerumque de nocte; vel a ferendo et a portando.

Id aeque naturali ac divino jure est prohibitum *(P. 2.)*.

Estque aut manifestum, quando fur in ipso facto vel alibi cum re furtiva deprehenditur; aut non manifestum, quod committitur sine deprehensione dicta *(P. 3.)*

Olim poena erat furti in quadruplum vel duplum, si maioris aestimationis persona fit, recompensatio; minoris autem aestimationis fures virgis, fustibus vel ostracismo mulctabantur. Hodie tamen fur poenam luit in corpore. Ob delicti enim frequentiam et juxta Constitutionem Friderici Primi Imperatoris poena furti est laqueus, furca vel patibulum *(P. 4. Dist. 1.)* Parcitur tamen aliquando aetati *(P. 14.)*. Dictus Fridericus Imp. constituit, eum qui quinque solidos aut plus furaretur, laqueo suspendendum esse; si minus, scopis et forcipe excoriandum et tondendum.

Ementes inscienter res furtivas tenentur eas sine refusione pretii, proprietariis restituere, nec possunt eas pro pretio retinere. Id fit ideo, ut in posterum discant cautius mercari *(H. 11. Dist. 2. P. 15. Jus Prov. L. 24)*

Canon est: Si quid invenisti et non reddidisti, rapuisti; quantum potuisti, fecisti: quia plus non invenisti, ideo plus non rapuisti. Deus cor interrogat, non manum. Multi sine peccato putant esse, si alienum, quod invenerint, retineant et dicunt: Deus mihi dedit, cui habeo reddere? quasi dicant, nulli. Discant ergo, peccatum simile esse rapinae, si quis inventa non reddit. *(Vide Jus Prag. P. 17.)*

Furti poena tenentur et illi, quorum ope, consilio vel quoquomodo furtum est factum. *(De his vide supra Titulum de delictis. — H. 11. Dist. 3. N. 8. P. 5. et P. 6. Jus Prov. L. 17. L. 33.)*

Furtum majus de nocte perpetratum in horto, vinea et fundis laqueo, minus vero de die commissum, oculorum privatione punitur *(P. 19.)*. Talem furem si quis interfecerit, nihil amittit, dum duos obulos capiti ipsius imponit *(P. 18 et P. 20.)*

Pater contra filium, maritus contra uxorem actione furti non potest agere, nisi actione amotarum verum contra voluntatem. Actiones nempe hujusmodi sunt famosae *(P. 13.)*

Huc pertinet et plagium, quando quis abducit et celat patri filium, domino servum, reipublicae civem, eosque sciens

vendit. Plagiarius aut in metallum condemnabatur, aut bestiis subjiciebatur; apud nos vero in partes dissecatur *(O. 4.)*

Huc pertinet et sacrilegium, quando quis aufert rem sacram. Et talis sacrilegus quoque furca suspenditur *(O. 12.)*

De Lege Aquilia et pauperie quadrupedum.

Damnum ex lege Aquilia dicitur, quando quis dolo, culpa vel injuria servum aut quadrupedem alterius occidit, vulneravit, vel alioqui res ejus fregit, rupit aut laesit. Denominatum a demo, quasi ademptio vel diminutio patrimonii nostri *(R. 16. Dist. 1.)*

Injuria dico, ut excludam quadrupedes, quae non damnum, sed pauperiem faciunt. In iis enim, siquidem sensu carent, nulla fieri potest injuria, itaque nihil contra jus videntur facere. Hanc legem Gallus Aquilius, tribunus plebis, a quo et denominationem habet, introduxit.

Imperitia et negligentia culpae quoque annumerari solet; ideoque non solum in medico locum habet, verum etiam in artificibus, suas artes profitentibus *(K. 3. 5. Dist. 1. 2. 3. 4.)* Medicus excusatur, si adhibuit diligentiam secundum praecepta artis. Hinc illud poetae:

> Non est in medico, semper relevetur ut aeger,
> Interdum docta plus valet arte malum.

Actione Legis Aquiliae non tantum tenetur is qui per se damnum dat, verum etiam qui iis, quorum parere est necesse, mandat, eosve adjuvat, et occasionem quibuscunque modis damno praestat. Hinc illa sub litera *R. 21. Dist. 2. 3.*: „Noxa caput sequitur." Et „Qui per alium facit, perinde est, ac si faceret per se ipsum." Et „Qui occasionem praestat, ipse damnum dedisse videtur."

Qui ad jussum alterius, cui parere non tenetur, damnum dat, is Lege Aquilia perinde ac mandans obligatur *(R. 21. Dist. 4.)*

Si pons frangatur ex onere rerum, vector facit damnum in curru et equis, dominus vero in rebus vectis *(R. 23. Dist. 1.)* Similiter, si vinum vehatur et dolium ob vetustatem corrumpatur, damnum erit domini illius vini, et non vectoris *(R. 23. Dist. 1.)*

Si civis civem sine culpa per injuriam in vincula conjiciat, resarciet vinculato damnum, ad quod occasione illius pervenit, et totidem dies vicissim detinebitur in carcere; nisi forte secus inter illos fuerit conventum *(S. 8. Dist. 1.)*. Extraneis et peregrinis saltem damnum praestatur *(S. 8. Dist. 2.)*

Ad Legem Aquiliam et familia, hoc est famuli famulaeque, pertinent. Si servus vel serva alicui pro servitiis ad certum

tempus praestandis compromissum facit, postea apud alium servit, ad eum redire tenetur, cui prius servire promisit. Secus faciens, detineri potest in vinculis, pane modico duobus denariis comparato in diem contentus, usque ad terminum compromissum *(S. 10. Dist. 1 et 2.)*

Vide, ne aliquem in familiam de subditis sine consensu hereditarii domini recipias, nisi juxta *Constit.* anno praesenti fer. 2. post Felicis in Synodo promulgatam, mulctari velis 50 sex. grossorum.

Is qui familiae justum pretium detinet, mulctatur Jure Provinciali in quadruplum, expensis etiam superadditis *(M. 34.)*

In quantum obligetur civis, si subditum alicujus interficiat, lege Titulum de Homicidio.

In actionibus Legis Aquiliae, de jure nostro ante omnia ocularis inspectio requiritur *(K. 19. Dist. 2. K. 24.)*. Quadrupedes si tibi pauperiem fecerint, de illa pauperie certiorem reddito magistratum, vel alios quos vis fide dignos, et quantum erit justum, aestimatione magistratus obtinebis, ac quidem cum eo, quod in quadrupedes occasione curae insumpseris *(R. 25. Dist. 2. et 3. Jus Prov. L. 45.)*

Qui alterius quadrupedem injuria occidit, praestabat de jure romano (quod et nos sequimur) aestimationem damni, quanti plurimi eo anno illa quadrupes vendi potuit *(R. 14.)*; in aliis vero damnis, injuria et culpa datis, ut si quis alicui urendo, frangendo, depascendo, secando damnum det, praestatur solutio rei corruptae, quanti illa res plurimi valuit, intra triginta dies proxime elapsos *(R. 15. S. 5.)*

Nemo feras silvestres, quadrupedes saevas et indomitas, domi suae alat, nisi velit mulctari pro aestimatione judicis *(R. 30.)*. Imo et equo saevo ac indomito appendere debes signum cautionis vel clamare, ne quis proxime ad quadrupedem illam accedat *(S. 1.)*

De injuriis.

Licet injuria generaliter accipiatur pro eo quod non jure fit, quasi non juria, bezprawj, ita ut veluti genus comprehendat furtum, rapinam, damnum et quicquid tandem non jure fit: tamen hoc titulo aliud injuriam intelligimus, quam contumeliam a contemnendo dictam, quando aliquis dolo malo liberi hominis corpus, dignitatem vel famam laedit *(Q. 12. Dist. 1 et 2.)*

Dico: Dolo malo. Nam si quis ioco certando aut etiam invitus quem laedit, actione injuriarum non tenetur. Injuria n. procedit ex affectu facientis *(Q. 12. Dist. 3.)* Et reus in hoc casu probare debet, se non animo injuriandi laesisse aliquem.

Secundum Imperatorem injuria fit quatuor modis:

I. Re, ut quoties manus alicui inferuntur et corpus alicujus fustibus vel pugnis aut verberibus laeditur. Haec species injuriae videtur plus pertinere ad vim privatam, secundum Jura nostra *(N. 11. N. 12. N. 15 et seq.)*, vel secundum Jus Romanum ad vindictam armatam, de qua supra.

II. Verbis, ut quando quis ad alterius ignominiam, verba contumeliosa et alicujus infamiam notantia profert, existimationemque aliorum laedit. *(R. 1. R. 2. Q. 13. Q. 14. Q. 15. Jus Prov. K. 19.)* Haec verbalis injuria et convicium a vocum concertatione, quasi convocium juxta Labeonis sententiam, dici potest. De Jure Caesareo contumelia videtur pertinere ad injuriam, quae re, liberis et gestu infertur; convicium vero ad injuriam verbalem.

Pro convicio vel injuria verbali haec habentur: Ut si quem latronem, proditorem, perduellem, infamem, pellicis filium, falsarium, spurium, furem, feminam scortum vocaveris *(Q. 17. Jus Prov. K. 19.)*

Si quis provocatus verba injuriosa dicit, non tenetur de verbis injuriosis, siquidem magis repellit, quam impellit. Non debeo nempe illi servare honorem, qui mihi vituperium facit.

Injuriae verbalis poena est non saltem revocatio, quae conviciatorem reddit infamem *(Q. 17. Jus Prov. K. 18.)*, verum et incarceratio ad spatium duarum septimanarum *(Q. 19. Dist. 2.)* ac damnorum refusio *(Prov. K. 19.)*

Hic locum habent cartae incisae, quae pro vindicanda injuria mittuntur, ad quas nisi intra quatuordecim dies aliquis respondeat, crimen convicii quoque incurrit *(Q. 25. Jus Prov. K. 20.)*

Est et alia convicii seu verbalis injuriae species, quam vocare licet contumeliam, minus atrocem, ut si quis alicujus famam qualitercumque, excepta superiore specie, denigrare studeat, veluti, si objeceris alicui, quod vera non dicat aut non scribat, quot indignus sit conversatione bonorum, quod in omni foro illius accusationem rejicere possis, quod aliqua vi et injusto titulo possideat, et his similia. Convictus minus atrocis injuriae, mulctatur de Jure Prag. 10 sexag. gross. et spatio septem dierum carcere punitur *(R. 5. Dist. 1.)* Si vero pecuniariam mulctam quis solvere non potest, punitur carcere spatio trium mensium *(R. 5. Dist. 2.)*. De Jure Prov. ejusmodi injuriosus viginti sexag. gross. mulctatur *(K. 19. cis finem)*.

Si quis accusatus injuriae verbalis, excipiendo contra actorem, dixerit se calore irae aut per ebrietatem in injuriam prolapsum esse, ejusmodi arbitrio judicum punitur, poenae tamen revocationis non subjacet *(Q. 22.)*

Huc illud Catonis:

Quod potu peccas, ignoscere tu tibi noli,
Nam nullum crimen vini est, sed culpa bibentis.

Qui itaque vult vitam suam diligere et videre dies bonos coerceat liguam suam a malo et labia sua ne loquantur dolum, quaerat pacem et persequatur eam. Huc illud tritum: „Diffamare cave, nam revocare grave!"

III. Literis, ut si quis famosos libellos ad infamiam alicujus scribat, vel scribi aut componi curet.

Poena ejusmodi non tantum capitalis est, sed etiam talis in quatuor partes dissecatur *(R. 10. Jus Prov. L. 15.)* Omnium n. injuriarum gravissime punitur haec injuriae species; nam qui casu libellum famosum invenit, nec statim laceravit aut igni tradidit, punitur carcere, in quo per integrum annum detinetur *(R. 12. Prov. L. 15.)*

Ob libellos famosos nemo redditur infamis *(R. 11. Jus Prov. L. 15.)*

IV. Gestu, ut si quis utatur veste lugubri vel squalida ad injuriam alicujus, barbam, capillosque demittat, vel alioqui faciem quis mutet, sive linguam in contumeliam alicujus extendat.

De delictis extraordinariis.

Delictorum extraordinariorum et quae arbitrio judicum de jure nostro puniuntur, octo species recensentur. De his pauca ordine subjiciam.

Crimen repetundarum. Hoc committitur, quando is qui in publico officio est, propter munera aliquid facit, quod facere non debet; vel quando mulctas de maleficiis sumptas, in suum commodum convertit *(O. 9.)*

Crimen peculatus. Quando quis pecuniam publicam, tempore administrationis officii sui, furatur. Jure Romano ejusmodi capitali supplicio punitur *(O. 10.)* Huc illud Ciceronis: Qui reipublicae praefuturi sunt, duo Platonis ut praecepta teneant: Unum, ut utilitatem civium sic tueantur, ut quaecumque agant, ad eam referant, obliti commodorum suorum. Alterum, ut totum corpus reipublicae curent, ne dum aliquam partem tueantur, reliquas deserant.

Seditio. Quando quis movet et concitat populum contra magistratum *(O. 13);* talis jure veteri aut in furca suspendebatur, aut bestiis subjiciebatur, aut in insulam deportabatur.

Concussio. Hoc delicto tenetur is, qui occasione alicujus dignitatis vel officii, quod gerit, aliquem premit et debitam justitiam illi non administrat *(O. 26.)*

Crimen praevaricationis. Praevaricari dicitur ille, qui aliquem accusans fictitias probationes adduxit, omittendo veras.

Advocatus praevaricatur, dum partem adversam prodita illi causa adjuvat, et substantialia suae partis sciens omittit *(O. 27. Dist. 1. et 2.)*

Si judex contra officium suum, arcana alicui parti revelat, vel judicans illi consilium dat, capitis supplicium incurrit *(A. 8. A. 15. Dist. 1. Prov. B. 28.)*

Eadem poena et advocatus praevaricator punitur *(B. 25. Dist. 2. et B. 27. Dist. 2. Prov. V. 2. et V. 3.)*

Stellionatus. Illud crimen habet locum, quando quis varietatis et mendacii est reus, ut si quis unam et eandem rem pluribus scienter vendat, oppignoret, aut in contractu fraudulenter et dolose bonam rem ostendat, et tandem peracto contractu pejorem, quod Judaei Christianis facere solent, emptori tradat *(O. 28. Dist 1. et 2.)*

Abigeatus. Committitur, quando quis dolo malo alienis insidiatur animalibus et ea abducit *(O. 29.)*

Qui saepius hoc crimine delinquit, punitur de jure civili quoque gladio.

Incendium. Qui sciens et prudens quid comburit, igne necatur *(O. 14.)*; inscius tenetur damnum resarcire *(O. 17.)* Sed in casu fortuito et fato inevitabili quisque meretur veniam *(O. 18.)*

Quomodo et quibus modis in Jure nostro incendiarii delinquant, vide Tit. integrum De incendiariis, de modo restinguendi incendium sub litera *O. 15. et seq. usque ad lit. O. 25.* Nostri n. propositi non est, omnia hic usque ad amussim tractare.

* * *

Sed de Processu nostro hactenus dixisse sufficiat. Exactiorem diligentioremque Juris Bohemici cognitionem quisque in latiore Juris Civilis Pragensis et Constitutionum Provincialium fonte et doctrina videre et legere potes.

Seneca 18. lib. Epistol. 108. Epist.

Hic est magnus animus, qui se Deo tradidit, ac contra ille pusillus ac degener, qui obluctatur et de ordine mundi male existimat, et emendare mavult deos quam se.

Finis.

Index titulorum hujus „Processus".

In fine additus est tractatus, in quo continentur haec capita:

De poenis et eorum attributis, 63.

De publicis delictis ordinariis: De crimine laesae Majestatis, 67. De adulterio, stupro et raptu, 67. De vi publica, 69. De vi privata, 70. De usuris et crimine partitorum, 70. De homicidio, 71. De violatione sepulchrorum, 73. De crimine falsi, 73. De crimine ambitus, 74. De receptatione et occultatione latronum, 74. De poena ebrietatis, 74.

De delictis privatis ordinariis: De furto, 75. De lege Aquilia et pauperie quadrupedum, 76. De injuriis, et quot modis fiant, 77.

De delictis extraordinariis: De crimine repetundarum, 79. De peculatu, 79. De seditione, 79. De concussione, 79. De praevaricatione, 80. De stellionatu, 80. De abigeatu, 80. De incendio et incendiariis, 80.

INDEX MATERIARUM

hoc opusculo comprehensarum.

Additamenta et variationes ex versione „Processus" boemica.

Tit. I. alinea 1, pag. 7.

Není nadarmo, aniž se stalo bez hodné příčiny a zdravého uvážení, že staří maudří lidé, ačkoliv pohanové a neznabohové, práva a řády aneb statuta chvalitebná za svaté drželi a měli; nebo vpravdě tak jest, že práva v městech a zemích jsau věc znamenitá a svatá, poněvadž skrze ně ty věci, kteréž na odpor přicházejí, častokráte rozeznáni býti musejí, a protož slušně a ne bez příčiny tato knižka od titule práva začátek jména svého béře.

Tit. I. alinea 19, pag. 8. De Jure Canonico etc.

Při právě duchovním *trojí povinnost* původa se nachází:

1. Aby s přátely svými a lidmi v právích zběhlými nejdříve se poradil, zda by měl tu věc, o níž s někým při právě duchovním činiti chce, před sebe vzíti nebo nic.

2. Mysliti má na to, bude-li moci to, což prožaloval, provésti a prokázati.

3. Aby dříve, než co před sebe vezme, přátelsky toho, kohož viniti chce, napomenul.

Tit. I. alinea 29, pag. 9. Hujusmodi ordinarium etc.

Ten saud aneb právo městské jest čtvery:

1. Senatorium: konšelský, na kterémžto purgmistr (v M. Pražském s 17 konšely) s lidmi hodnověrnými v přítomnosti někdy hejtmana a císařského rychtáře sedává. *(A. 4.)*

2. Decemvirale: desítipanský [1]). Slove od počtu desíti saudcův, na kterémžto obzvláštně rozepře se o dluhy vyřizují.

3. Sexvirale seu aedilium: šestipanský úřad, jehožto povinnost jest, netoliko aby domové v městě k spuštění nepřicházeli, ale také o obecní dobré se starali [2]). *(K. 19. Rozdíl 2.)*

4. Rychtářské právo v městech o dluhy i stavunky saudí.

[1]) V Římě desíti pánův úřad (decemvirale) byl, že mimo jiné věci válku na moři vedli lidem válečným, penězi a jinými věcmi fedrovali, it. cla a platy uzazovali, pronajímali a propauštěli; u nás pak o dluhy saudí.

[2]) Šestipanský úřad (sexvirale vel aediles) v Římě byli nad stavěním obecným, kteříž obzvláštně chrámy a jiná obecná stavení v svém opatrování měli, jako nyní u nás.

Co se pak vrchního saudu v království tomto českém dotýče, ten jest šesterý:

1. *Saud zemský větší* (provinciale majus); na něm sedá nejvyšší sudí království českého se čtrnácti pány a osmi vládykami (Zřízení zemské *B. 1.)* A ten se drží čtvrtý den po svatém Václavě; 2. v pátek po suchých dnech postních; 3. po suchých dnech letničných též v pátek. K tomu každému přidány 4 dny výše nad dvě neděle. *(B. 1.* při konci.)

2. *Saud zemský menší* (provinciale minus), na němžto sedá místosudí s 5 vládykami. (Zřízení zemské *L. 60.)* A ten se drží: 1. v úterý před suchými dny postními; 2. v středu o suchých dnech letničných; 3. nazejtří po svatém Michalu archanjelu.

3. *Saud dvorský* (curiae), na němž sedá nejvyšší sudí dvorský s pány a vládykami nejméně desíti. (Zřízení zemské *A. 35, M. 36)*. A ten se drží: 1. nazejtří sv. Bartoloměje; 2. nazejtří sv. Martina; 3. nazejtří sv. Pavla k víře obrácení; 4. nazejtří po Svátosti.

4. *Saud komorní* (camerae), na němž sedá nejvyšší hofmistr království českého se pány a vládykami nejméně dvanácti *(O.5.)* A ten se drží: 1. po nazejtří svatého Pavla k víře křestanské obrácení; 2. v pondělí po Svátosti; 3. po nazejtří svatého Bartoloměje; 4. po nazejtří svatého Martina. *(O. 3.* Zřízení zemské.)

5. *Saud purgrabský* (burgraviatus), na němž sedí nejvyšší purgrabí nejméněji s osobami sedmi, vládykami. *(O. 19.* Zřízení zemské.) A ten se drží: 1. Nazejtří Fabiana a Šebestiana; 2. v středu po neděli provodní; 3. nazejtří po svaté Marketě, a 4. nazejtří po svatém Linhartu.

6. *Appellací vrchní právo na Hradě Pražském od císaře Ferdinanda I.* léta 1548 vyzdvižené, ze všech stavův tři nařízené, kdež president se 4 pány, 4 rytíři, 4 měšťany a 4 doktory v právích saudí, ortele z rozličných míst přesuzují.

Tit. VI. post al. 3, pag. 16.

Léta 1556 v středu po neděli průvodní na sněmě na Hradě Pražském od stavův království českého, markrabí moravského, knížetství slezských a markrabství lužických u přítomnosti krále Ferdinanda držaném nařízeno: Řezané cedule i poselství ústní aby se toliko českým jazykem dála, jinak aby nebyl žádný odpovědí povinen. A Právo Městské pod literou *B. 8. Rozd. 1., Zříz. Zem. B. 32* vyměřuje: Přede všemi saudy v království českém pořádnými kdyby jeden druhého z čeho pak koliv viniti chtěl, má a povinen bude původ svau žalobu v jazyku českém na obeslaného aneb obviněného učiniti; obviněný pak též českým jazykem má jemu odpovídati.

Tit. VII. alinea 7, pag. 18. Advocatus dicitur etc.

Advokat, poručník, ut zástupce slove, který buďto při právě aneb krom práva principala svého potřebu podle moci sobě od něho dané, jakoby sám principal přítomen byl, zastává, jedná a skrze upřímné zastupování jej obhajuje a chrání. A ten podle práva obecného mzdy své zaslaužené spravedlivě žádá; nam dignus est operarius mercede sua (hodenť jest dělník mzdy své). Pročež i saudce pilně toho šetřiti má, aby za práci jemu dle náležitosti a slušnosti lidé právi byli. A on zase naproti tomu víceji lidí, než za práci jeho slušného a náležitého jest, přetahovati nemá, ani také v rozepři ztracené jako v obdržené při, jednostejné záplaty. Jakž Martialis o takových nestaudných řečnících neb prokuratořích píše:

Egi, Sexte, tuam pactus duo millia causam.
Misisti nummos quot mihi? Mille. Quid est?
„Narrasti nihil“, inquis, „et a te perdita causa est“—
Tanto plus debes, Sexte, quod erubui!

Na česko:

Pane Sexte, já ved při tvau ze mzdy dvau set pronajatau,
Poslal's mi za to jedno sto; zrušils smlauvu, málo jest to!
Pravíš, že jsem mluvil krátce a tvau při ztratil nakrátce.
Meylíš se, Sexte, sáms vinen, když v nejisté při obviněn;
Víc by dáti povinen byl, že jsem v hanbě pro tě pobyl.

Tit. VIII. post al. 7, pag. 20.

Leta 1602 v pondělí po sv. Antonínu na sněmě držaném na Hradě Pražském, ode všech tří stavův království Českého, zavřeno o řečnících: Že se mnohdykrát, když se jim zlíbí, majíce k některé při státi a ji vésti, nemocny učiní a tudy při k odkladům přivozují. Jakby takovým obmyslům v cestu vkročeno bylo, na tom jsau se stavové s J. M. C. poníženě snesli: Který by koliv řečník, maje při vésti, za nemocného se položiti dal, aby ten každý nemoc svau při nejprv potom příštím saudu zemském v kaple Všech Svatých, jak se nemoci zpravují, zpraviti byl povinen; a dokudž by toho neučinil, tehdy žádný proti sobě v mluvení trpěti ho povinen nebude, leč by ho ten, proti komuž jest státi a mluviti měl, z té přísahy propustil.

Tit. IX. post al. 6, pag. 21.

Léta 1585 v pondělí den s. Šťastného na sněmě stavův království českého na Hradě Pražském u přítomnosti J. M. C. držaném, nařízeno a snešeno: Kdyby osoba stavu panského a

rytířského při právě městském v rukojmí domácí pro škody objíti se nemohla, tehdy místo rukojmů základu na právě zanechati má.

Tit. XI. post al. 14, pag. 24.

Kaupě někdo jakýžkoliv grunt městský a jsa již jeho v držení v času právy vyměřeném, to jest ve dni a v roce, byl-liby od kohož koliv v tom času nařikán: tehdy gruntu takového držitel prvé nežby naříkajícímu na žalobu odpověď dal, povinen jest, zpravcí svého, to jest, saukupa svého, od kohož ten grunt kaupil, aneb držitele statku jeho obeslati a před právem požádati, aby jej před naříkajícím v té při zastaupil. Zpravce pak aneb statku jeho držitelé mají jej v tom zastaupiti. A neučinil-liby toho, gruntu držitel tu při by prosaudil, bude moci k saukupu, kterýž mu se zpravou zavázal, aneb k dědicům jeho, o spravedlnost svau i škody na to vzešlé, hleděti a na něm aneb na statku zpravcí svého všeho postíhati. Pakli by zpravcí svého neobeslal a saudil-li by se sám, tehdy zpravce aneb držitelé statku jeho, by pak grunt ten prosaudil, žádnau další zpravau ani škodami povinni jemu nebudau. *(F. 34. Rozdíl 1. 2. G. 48. Rozd. 1. 2. 3.)*

Tit. XII. post al. 3, pag. 26.

III. Legibus porro communi cum principe consensu semel receptis, ut et institutis ac mori prisco tuendis, conservandis nec illa privati cujusquam praevaricatione turbandis, custodes sui a veteribus (sicut alibi diximus) [1]), sunt constituti, viri ex melioribus prudentes, patriae amantes et vigilantes. Principes etiam ipsi in inauguratione quisque sua, ad seriem earum sicut observantiam, ita et defensionem accuratam, sacramento pariter et cautione literaria hactenus astringi sunt soliti. Et quamvis (quod ad privatum jus concernentium legum custodiam attinet), custodes illi (velut et leges ipsae) sint discreti ac proinde regni primores saltem in nobilitatis, Majoris vero Pragae senatus in municipum atque plebejorum foro usitatarum legum tuendarum ac interpretandarum curam jubeantur gerere: de republica tamen patria ac jure ejus publico latas, longo usu jam olim confirmatas leges, tam hi, quam illi consueverunt tenenturque opera mutua propugnare [2]). Semper autem majoribus id curae fuit, ut leges suas a promulgatione statim, sive volumine sive codice certo comprehensas, in membranis luculenter describerent, religioseque cum regni monumentis caeteris in scriniis servarent. Ne vero occultae haberi viderentur vel vulgo ignorari possent, temporius eas ad usum multitudinis promiscuae publicabant ac in lucem dabant. A recentioribus ordine literarum alphabetico fuerunt distinctae, Provincialesque seu Terrestres supra quingentas, Municipales supra nongentas factae. Uni autem cuique literae, huic plures, illi pauciores sunt subjectae. Sic recognitarum legum codicem innovatum ac editum legimus, terrestrium quidem sub Sobieslao Duce, itemque sub Johanne Rege, manu scriptum, sub Wladislao II., Ferdinando I. *(ann. 1549)* et Maximiliano II.

[1]) Cap. XI, §. 5. [2]) Jus Terrestre seu Provinc. D. 49.

(ann. 1549) impressum habemus ipsi. Municipales porro leges primum Minerva rudi (ut fere omnia veterum erant) sub Křesomyslo principe *(circa ann. 800)* scribi coeptas, paulatimque a posteritate grata excultas ac usu longo confirmatas, indulgentius in Bojemia a Wratislao et Przemyslo-Ottacaro II. regibus habiti atque multiplicati convenae Germani ausi sunt familiari in sua gente juri Magdeburgico posthabere ac repudiare. Adhinniebant ad ipsorum attentata postmodum etiam ex indigenis fastidiosi non pauci, ita ut tempore aliquanto post Litomierziceis, Nymburgi, Slanae, Launae, Ustae et toto fere ad septentriones porrecto regni tractu, usitatarum apud municipes caeteros legum domesticarum prae jure Magdeburgico modica esset authoritas et usus propemodum nullus. Aegre sane faciebat legum ista diversitas, et cum mutua inter se, tum inprimis a Provinciali sive Terrestri Jure in plerisque discrepantia, non solum ex civium Ordine moris patrii prisci retinentioribus quam plurimis, sed etiam prudentioribus ex nobilitate permultis; credebant namque cum Menandro, esse νόμοις τοῖς ἐγχωρίοις ἕπεσθαι καλόν. Sed quia gangraena ista postea ex Johannis Regis ea de re privilegiis fomitem accipiebat, connivendo ferre eam habebant neçesse. Vigebant nihilominus interea ac poliebantur tum aliis in urbibus, tum Pragae cum primis leges patriae. At quia, prout aetas ac librariorum ingenium erat, confusius eae in dies, plerunque etiam perquam negligenter describebantur, primus eas, quod sciam, ex Pragae Majoris monumentis, Ludovico regnante, consarcinavit, congestasque in volumen grandiusculum typis imprimi curavit M. Briccius de Zlitsca. Quae cum nec ipsae omnibus tum quoque essent ad gustum et nonnullius momenti in rebus quibusdam a Terrestri jure dissidentes viderentur, murmuri Ordinum in comitiis persaepe causam dabant, donec tandem methodo nova emendatius distinctiusque descriptae regi primum Maximiliano *(ann. 1569)*, tandem vero etiam ejus filio Rudolpho, a civitatibus *(ann. 1579)*, populi consilio frequenti, fuerunt oblatae, et ex comitiorum horum decreto regisque ipsius approbatione, authoritatem pleniorem adeptae.

Nec mora, Majoris Pragae primatis Johannis Drazicii procuratione, sunt evulgatae. Approbarunt evulgatas calculo etiam suo *(ann. 1580)* nostri, sedentes ad provocationum tribunal sapientes, et durat earum usus etiamnum inconvulsus. Terrestres illae, quae tam ante, quam nostris adhuc temporibus ut oracula observabantur, per recens ab Imp. Ferdinando II. promulgatas Constitutiones novas plane *(ann. 1627)* ab usu sunt remotae atque abrogatae, adeo ut vocandarum sub incudem ac recognoscendarum, quae datae jam regno sunt, legum facultas prisca populo penitus sit erepta.

IV. Et quanquam, post crebras ante et ab excessu Maximiliani patris sub Rudolpho filio natas, partimque decretis comitialibus sancitas leges, partim pro tribunali de variis controversis casibus tum a Regibus tum a Senatu magno latas, et propterea, patrio de more, legis sic vim indeptas decisiones novellas *(Nálezy Královské a Panské)*, Regi pariter et populo e republica est visum, ut promulgatus, cum Terrestrium ille Maximiliano, tum Municipalium Rudolpho regnante, uterque promiscuo tum usu publice frequentatus legum codex iterum recognosceretur, ac dispunctis quae heterogenea, quae discrepantia, quae non satis succincta in utroque passim occurrunt, in ordinem, quam hactenus exactiorem redactus, insertisque comitialibus tribunaliumque illis legibus novis, auctior ac enucleatior prodiret: res tamen ea, fato nescio quo prohibente, successum habere nequiit, nisi quod Magdeburgici peregrinique juris caeteri usus omnis, aegre tandem aliquando *(ann. 1610)* una cum vetusto scabinorum tribunali Litomierzicensi, penitus est sublatus. Mandabatur interea persaepe ea legum scitius digerendarum cura delectis in Ordinum conventibus ex omni numero viris sapientibus et juris patrii peritis, nunc pluribus, nunc paucioribus: nonnullorum tamen praepostere sive timidorum, sive religiosorum morositate, in cursu medio sistebatur. Regno nihilominus Matthiae Imp. propemodum extremo *(ann. 1615)* progressus eos res haec est sortita, ut nisi repentinus ille turbo ac lacrymabilis totius regni motus *(ann. 1618)* supervenisset, exitum tandem ex voto habitura dici possit. Inolevit porro mos jam inde ab ipsis legum incunabulis, ut earum facti ex membrana codices authentici Pragae, terrestres principio in fani cujusdam sacrario, postea (nisi quod Caurzimae ex quadam Boleslai Saevi ordinatione, cui urbs ea prae aliis fuit addicta, aliquandiu in novo praetorio condebantur), in San-Clementina domo praetoria, tandem vero in arcis S. Wenceslai palatio Wladislaviano, cum regni archivis servarentur [1]), municipales in Urbis Majoris chartophylacio custodirentur. Harum primigenii codices, in eo quo diximus Pragae Majoris loco, hodieque superesse scribuntur [2]): illarum vero exemplaria, quae ante Ferdinandi I. tempora fuerunt scripta, repentino illo atque terribili, nec unquam satis deplorando, arcis et Minoris Superiorisque Urbis Pragensis incendio *(ann. 1541)* cum monumentis ac tabulario regni universo sunt absumpta. Quae cum ita sint, non inepti modo, verum etiam convitiatores manifesti sunt, quaecunque post Johannem Aubanum, Bojemos cyclopum more leges nullas habere, nedum audire cavillantur,

---

1) Hagec. ad ann. 876, 959 et 1321. 2) M. Paul. Christiani Praefat. dedicatoria in Epitomen Jur. Munic.

ut et ii, qui cum magno alias et docto antiquario, sed potentiorum fortunae velificante, Bojemo mastyge novo, nugantur habere illos quidem leges nonnullas, at Slavicas, iniquas, crudeles ac barbaras. Georgium Beatum et Petrum Stierbam, viros naris non prorsus obesae, haud idem cum ipsis sensisse certo est certius; quorum ille terrestres, hic municipales leges nostras ex vernacula Bojemorum lingua fecerunt germanicas. Ostenderunt ii opera hac sua, tam justas, tam bonas, tam utiles esse gentis hujus leges, ut eas etiam a diversae linguae hominibus legi cognoscique, nequaquam infructuosum, nec iis apud quos sunt natae, pudendum censeri debeat; quae tametsi magna sui parte in publico silere jam ac situ squalere videantur, privatim tamen necdum penitus ipsae pro se loqui ac cavillatoribus, quos memoravi, in os resistere desierunt.

CAPUT XIII.

De Bojemorum Comitiis.

I. Inter salutaria, procurandisque in republica socialis vitae commodis media prorsus necessaria, non est postrema comitiorum cura. Etenim cum persaepe in populosa hominum societate, qualis respublica omnis est, negotia incidant complura ardua, difficilia, gravia, ea deliberatione communi et consensu populi universi peragi atque expediri est aequum. Libere autem, sed sobrie quoque, dicendi in iis, quae quis e republica esse existimat, facultas est membro non temerario cuique danda, et postulata cujusque citra impeditionem audienda, tam ut quod omnes tangit, ab omnibus peragatur, et qui in magna sunt potentia, horum comitiorum metu contineantur in ordine, quam ut libertatem populo priscam superesse, illibatamque conservari, hoc modo appareat. Viguit semper vigetque hactenus in Bojemia hoc quoque jus et comitiorum libertas. Restricta namque in hoc regno, ut diximus [1], usque adeo est Regum potestas, ut ubicunque de republica vel arduo reipublicae quocunque negotio, est statuendum, in comitiis id et de populi voluntate fieri oporteat. Indicendorum porro comitiorum et populi de profanis rebus ad deliberationes communes convocandi jus, praeter Regem vel in interregno, praeter optimates regni, concessum est nemini. Non tamen novum est, neque bonis regibus faciebat aegre, cum populus, reipublicae neccessitate exposcente, vel eos de conventibus agendis interpellabat, vel rebus moram non ferentibus, regibusve peregre absentibus, arbitrio ipse suo conveniebat.

[1]) Cap. V, §. 9, 10, 11.

II. At quia ardua haec, quae vocavimus, negotia, ita sunt comparata, ut nunc Coronae corpus universum spectent, nunc provincias ejus corporis singulas attingant, eapropter ad comitia nunc membrorum Coronae unitorum universitas omnis, nunc Bojemi soli, convocari commodum in locum et ad diem certum publico Regis programmate solent, clausula hac programmati fere adjecta, quod, sive quis veniat sive non veniat, Rex cum iis qui vocati deliberationi interfuerint, quod aequum et ex reipublicae usu futurum videbitur, sit decreturus, et is nihilominus qui comparere neglexerit, decreto obtemperare necesse habiturus. De provincialibus Moravorum, Silesorum, Lusatorumque comitiis loqui, hoc loco non est locus. Ad Bojemica vero comitia, si universalia sint, excitae provinciae concorpores omnes per legatos solent comparere, et apud majores usitato more, de communibus Coronae totius negotiis, capita cum Ordinibus Bojemis, alii post alios in concilium honorifice acciti et sententiam rogati, conferre ac consentire; sin particularia, Bojemi Ordines soli rem omnem arbitratu suo expedire. Cogendis porro iis nullum leges locum certum definiunt. Principis arbitrio is, pro re nata, nunc hic, nunc ille; nunc intra fines, nunc ad fines regni; aliquando etiam sub dio, in campo patenti delegi potest. Pragae tamen, tanquam in metropoli, eum ut plurimum condici placuit, id quod situs ipsa commoditas rerumque copia suasit. Diversis a Praga locis actos populi conventus celebriores legimus, idque intra regni fines: ad Sadscam pagum sub dio a Wladislao Duce *(ann. 1110)*, Cutnae a Wladislao II. *(ann. 1477, 1485)*, Colini seu Colinae a Ludovico *(ann. 1525)*, Budiejoviciis a Ferdinando I. *(ann. 1529)* et a Matthia *(ann. 1614)* regibus; Zwikovi praeterea *(ann. 1318)*, Reginae Hradecii *(ann. 1391)*, Czaslaviae *(ann. 1421)*, Melnici *(ann. 1438)*, Bojemo-Brodae *(ann. 1444)*, Cutnae *(ann. 1471)*, ab Optimatibus; a primoribus denique iis, qui sub Vna dicuntur *(ann. 1465)*, Viridi Monte, et ab iis qui sub Utraque vocantur *(ann. 1483)* Nymburgi. At vero coacta ad regni fines comitia accipimus fuisse: apud Loctum seu Cubitum *(ann. 1318)* a Johanne Rege; apud Chebum seu Oegram *(ann. 1461)* a Georgio; apud Gladscum *(ann. 1512)* a Wladislao II. Hos caeteroqui ad conventus, ubi ubi sint, omnes quidem promiscue Rex solet evocare, sed non comparent fere nisi qui sunt locupletes. Poscere videlicet videtur aequitas, ut qui plus possident, quique plus in usus communes et reipublicae subsidia conferunt, plus aliis quoque in statuendo de re communi possint, praesertim cum salvam esse rempublicam eorundem, quam tenuiorum, magis intersit. Qui cum frequentes conveniunt ad diem, Rex (nisi quod si quando extra regni fines degit, per legatos rem omnem potest expedire) cum senatu Bojemo,

aulicoque comitatu suo, pompa regia, praeferente districtum gladium aulae marescalco, in comitium (vocatur *Saudná Swĕtnice*) per confertissimam populi turbam, venit. ipse. Venienti illi assurgunt universi cum demississima veneratione. Qui posteaquam in sublimiore splendidioreque caeteris solio regio sub uranisco consedit, agit per interpretem archi-cancellarium lingua Bojemica de praestito mandatis suis obsequio, concioni omni gratias, et mox rem, in qua ope populi sui consilioque sibi sit opus, proponi jubet. Legit de suggestu propositionem ex scripto regni vice-notarius vel declamator. Qua absoluta consurgens burggravius supremus, populi omnis nomine, verba ad Regem reverenter facit, et precatus illi felicissima quaeque, quoniam Ordines ex clementissima jam publicata Regiae Majestatis suae propositione, quae Regi ac reipublicae sint opus, prolixe cognoverunt, de iis se quamprimum diligenter deliberare, ac gratum, quoad maxime fieri poterit, Regi obsequium praestare velle, respondet. His auditis consurgit Rex, et comitatus ut prius, cum regni senatoribus, tum aulae suae familiaribus, in regiam redit.

III. Deducto in regiam Rege, revertuntur in comitium regni senatores, et burggravius supremus (ut qui praecipue comitiis solet moderari), exclusis prius omnibus, qui more patrio comitialibus deliberationibus interesse vetantur, convertit ad Ordines sermonem, et vel, si diem longius processisse ac inclinasse videt, commonefactis ut postridie redeant ad horam universis, concionem dimittit; vel, si per tempus diei commode fieri posse cernit, actionem inchoat. Rogat autem principio sententiam omnes et cognoscit, velintne expendendis postulatis regiis facere initium, aut habeant nec ne aliquid, quod deliberationem de iis non temere nec immerito possit remorari? Dicunt sententiam rogati ordine, Barones quidem et Equites viritim, Civitates vero (nisi quid incidat quam ob rem a Baronum vel Equitum sententiis dissentire oporteat) post collata inter se capita, collectim per Veteris Pragae cancellarium. Et quanquam negotia reipublicae non nisi post expeditam de postulatis regiis deliberationem tractari, lex nova jubet [1]), usus tamen et ante et post natam legem hanc obtinuit, ut si quid occurrat, quod vel rempublicam populi universam vel Ordinem aliquem seorsim contingat, cujusque nec difficultas facile expediri, nec iniquitas diutius ferri queat, anteponatur ejus explicatio propositorum a Rege negotiorum tractationi, Regique supplicetur, ut ante omnia morbo, qui populi omnis judicio vel reipublicae toti vel Ordini huic aut illi perniciosus est ac gravis, mederi non dedignetur, ita ut eo remoto, tanto posthac alacrius securiusque proposita negotia

---

[1]) Comit. ann. 1610.

regia deliberatione matura tractari atque expediri queant. In his omnibus prout Rex facilis est vel difficilis, facilis quoque vel difficilis est expeditio, quae aliquando nonnisi post multas Ordinum cum Rege disceptationes conficitur.

IV. Remotis demum his obstaculis, ac ordinatis populi rebus, legitur denuo propositio regia in concilio, ejusque descripta ex prototypo aliquot exempla potioribus inter Ordines distribuuntur. Nec mora longa, descenditur ad capiendum ordine de propositis comitiorum indictorum causis, regiisque necessitatibus consilium publicum. Suus autem his quoque consiliis est mos antiquus. Vocantur in deliberationem postulatorum regiorum capita, prout usus est, vel conjunctim si sint pauca, vel singulatim alia post alia, si sint plura vel ardua. Et quia populus hic vivit in libertate aequabili, ita ut onere ullo Ordinem alium ab alio citra assensum gravari, mos patrius haudquaquam sinat, ideo deliberat de iis suo loco Ordo unusquisque seorsim. Barones omnium primi in conclavi, quod, ut diximus, *Saudná Swětnice* appellatur. Qui cum soli in commune consuluerunt inter se, quodque e re est visum scripto comprehenderunt, de eo Equites cunctos per delectos Ordinis sui faciunt certiores, eosque ut et ipsi accurate rem inter se expendant et in medium consulant, cohortantur. Equites cognita Baronum animi sententia in conclavi, quod *Zelený Pokoj* nominamus, frequentes consilium capiunt, et expensis diligenter cum postulatis regiis, tum ea consequutis Baronum placitis, sententias invicem similiter conferunt, et complexi scripto communem suam de capite unoquoque voluntatem, in comitium, ubi Barones adsunt frequentes, confertim veniunt, communicaturi cum iis, quod inter se ut populo tolerabile nec regi incommodum censuerunt, et colloquuturi plenius de iis, si qua forte restent, quibus indagine majore esse sentiant opus. Excussis tandem ac conciliatis utrinque, quae dissentientia erant omnibus, per selectos ex utroque Ordine suos, confestim ad Pragenses (consentientis utrinque suae voluntatis scripto comprehensa formula iis reddita), quod mutuo placet, enuntiant, et a Civitatibus quoque, quid et ipsae fieri velint, sententiam exposcunt. Convocant ergo Pragenses ad diem, qui utilis sequitur, proximum, cunctos Civitatum ad comitia legatos (solent namque Civitates binos vel ternos, ex corpore unaquaeque suo, viros consulares tribunitiosve, cum plenis mandatis ad comitia ablegare), et post maturam cum iis, eorum quae Rex postulavit, quaeque Barones una cum Ordine Equestri pro se facere velint, considerationem, decernunt et ipsi, quod majorum more ac consuetudine vetusta ab Ordine suo praestari conveniat. Ab hac deliberatione per delectos Ordinis sui Supremo Burggravio, paratos se esse ad exponendum, quae ad proposita respondere velint, significant,

id quod etiam, ut primum commodum vident, magno Ordinis universi referendario, cancellario nempe Pragae Veteris perorante, in concilio frequenti faciunt.

V. Collatis in hunc modum Ordinum sententiis voluntatibusque conjunctis, concipitur ac scripto comprehenditur reddendae Regi responsionis formula. Stylus hic consuevit adhiberi παῤῥησιαστικὸς, ut in iis, quae Rex proponit, ὀφηγορικὸς, ideoque ille popularis, hic regius. Quae responsio cum facta accurate jam est in promptu, abeunt in regiam ex comitio Regni Senatores et cum iis ex Ordinibus singulis, hanc videlicet in rem ab Ordinis sui primoribus delecti complures, eamque Regi venerabundi offerunt. Ea Rex accepta, et lecturum quae respondent, et scripto se posteaquam deliberaverit, quid de iis sentiat. declaraturum recipit. Exspectatur itaque biduum plerumque vel triduum, dum Rex, ut placeat responsio, declaret. Qui cognitis quae de postulatis comitialibus facere velint Ordines, scripto (replicam vocant) quae placeant, quae displiceant, complectitur, idque per evocatos ad se Regni Optimates concilio mittit. Legitur, expenditur, discutitur, ac cum responsione diligenter confertur regia ista replicatio. Excussisque momentis rerum omnibus et collatis denuo in medium sententiis, fit comitiorum decretum, cui in scripturam redigendo deliguntur statim ex Ordine unoquoque prudentiores aliquot, una cum Primicerio. Quod cum conscriptum est, legitur formula coram universis, et rogantur iterum sententiam omnes, ut si quid in ea desiderent, proponant. Audiuntur omnes, formulaque tam diu limatur, quam diu nihil occurrat, quod castigatione videatur egere. Hoc peracto, renuntiant Regi Optimates Regni, esse jam factum ab Ordinibus comitiorum decretum, orareque Ordines omnes prece submississima, ut Rex in comitium velit venire ac decreti publicationi interesse. Re Rex cognita, eodem splendore regio, eadem pompa, eodem comitatu, quo ad propositionem edendam veniebat, ad hunc actum quoque venit. Qui cum inter laetos populi omnis fremitus regali, pro more, consedit solio, descripta pure ac legibiliter formulae exemplaria dantur [1]), Regi unum et Ordinibus alterum, ex tertio vero publicatur patentibus comitii foribus, ex suggestu a Regni Vice-Scriba factum recens comitiorum decretum. Et hoc absoluto, qui id tabulis Regni de Regis Ordinumque voluntate jubeant inseri, ad Archivi custodes, ex nobilitatis Ordine utroque (quamvis obmurmurantibus quandoque Civitatibus, et in hoc numero sui quoque Ordinis delectos, more apud majores usitato, interesse debere dictitantibus), nuntii destinantur. Peractis denique hisce omnibus et actis concilio, de servato Regi honore

---

[1]) Comit. ann. 1545.

debito, deque exantlato comitiorum labore molesto, composita voce gratiis, conventum dimittit Burggravius Supremus. Rex vero postea quam Regiam clementiam suam omnem populo universo brevi quoque alloquio ipso detulit, consurgit, et e comitio discedens a Regni Senatu, populique primoribus ac caeteris aulae familiaribus in Regiam, cum festa vulgi circumstantis gratulatione, deducitur.

CAPUT XIV.

De Muneribus seu Officiis publicis in Bojemia.

I. In ordinanda apud nos republica necessarium quoque censuerunt veteres, ut non minus in soluto sacris, quam in sacro ejus statu, munera seu officia publica, quibus magistratum summum adjuvari oporteret, tum majora quam minora, prudenter essent distributa. Voluerunt autem ea dignitate esse alia aliis potiora honoratioraque, quin et sua Ordini cuique propria [1]). Ab indigenis illa, non ab alienigenis geri debere statuerunt. Vulgo ea distinguimus in superiora et inferiora. Haec et illa vicissim gradibus quoque suis disparantur, et singula praeterea sub se, pro functionis necessitate, introducta usu et regis Wenceslai privilegio, vel plura vel pauciora ministeria diversa habent. Quae tum in his, tum in illis notatu non indigna animadvertimus, percurrere nunc pro nostra infantia constitutum habemus. Superiora officia illa videmus a viris generis splendore claris geri, et quaedam esse hereditaria, pleraque vero omnia, ut sic dicamus, dativa. Illa certis nobilium stirpibus jam olim sunt alligata, et nonnisi cohonestandae in solennibus inaugurationibus, curiaeque Regiae diebus bonis, regum majestati inservire videntur; haec quoties opus est Regis arbitrio, ex accurata regii consilii sententia, viris idoneis virtute rerumque usu spectatissimis conferuntur. Inter hereditaria in hoc Regno munera sunt Marescalatus, Pincernatus, Dapiferia, Praegustatoria, et si qua sunt alia, quae ex ea stirpe, cui sunt hereditaria, natu maximus solet obire. Sunt autem propria primum stirpi baronum Lippensi, secundum Wartenbergiae, tertium Hasenburgiae, quartum Sezimaeae. Praecipuus illis Regi est usus: Marescallatu in gestando gladio, Pincernatu in poculis, Dapiferia Praegustatoriaque in dapibus ministrandis.

II. Dativa porro quae appellavimus munera seu officia superiora, ut majoris sunt dignitatis, ita tum sacramentis arcti-

---

[1]) Comit. ann. 1526, 1545.

oribus alligantur, tum majoris momenti in rebus versantur, et quotidie fere in quibus vigilent exerceanturque, habere possunt. Ea propter quoties contingit, ut vacet ex iis ullum, Regis, patrio de more, est providere, ne longior quam menstrua sit vacatio. Non prius munus majus quisquam, nisi minus susceperit ac tempore aliquanto obiverit, gerere potest. Semel hoc alicui collatum, nonnisi urgentissimis gravissimisque de causis aufertur. Ambire tamen ab Rege ullum hoc honoris munus, capitale est et infamat. Et quoniam, qui iis funguntur, Regi nostro in concernentium totam rempublicam negotiorum procuratione inprimis adsunt, quicquid in promovendis, cum populi universi tum membrorum singulorum commodis ex officio faciunt, Regis ac reipublicae authoritate faciunt. Manus ii a δωροφαγία omni quam continentissimas habere jubentur; sanctus etiam quodammodo est ipsorum locus laborque. Vendicat autem pro suis jure sibi suo ex his, quaedam Regnum ac respublica praecipue, quaedam vero Rex magistratus supremus. Prioris generis sunt inprimis illa, quae terrestria vocantur, quaeque qui gerunt *Nejwyšší úředníci zemští,* optimates, ephori et primores Regni habentur; item ea, quae juri dicundo, custodiendis reipublicae κειμηλίοις, curandae pecuniae in usus publicos collocatae, et tuendae in districtibus incolarum tranquillitati, sunt excogitata.

III. Terrestre munus supremum est Burggraviatus, Curiae magisterium seu praetorii praefecturae, Marescallatus, Camerariatus, Praetura, Cancellariatus, quae nemo nisi Baro potest obire; Protonotariatus et Sub-Camerariatus, quae Equestri fere Ordini lege jubentur dari. Ex his primo, secundo, quarto et septimo, addixit vetustas proventibus optima praedia nonnulla et agrum haud contemnendum.

Burggraviatus Pragensis Supremus, tenendo fere opera vicaria sive absentis sive morte sublati Regis loco, prohibendis repentinis hostium in regnum irruptionibus, tranquillitatisque publicae turbationibus, coercendis juris contumacibus praevaricatoribusque [1]; cognoscendis regundorum finium, vel natis ex literarum obligatione controversiis, est ordinatus. Exercitus terrestris praefectura, secundum Regem suprema, de jure ei competit semper [2]. Dependent ab hoc munere supremo tum Burggravius arcis Pragensis, quem minorem vocant, cum suo consilio et consilii ministris quibusque; tum *Holomci,* h. e. lictores sive accensi omnes [3]).

Curiae vero sive palatii Archi-Magisterium dirigendo regio, quod Camerale dicitur, iudicio, ornandis pro

---

[1]) Jus Provinc. A. 1, 36, 37. D. 49. O. 19. et 22. [2]) Comit. 1615.
[3]) Victorin. de Wšehrd, lib. 2.

dignitate regiis coenaculis habitationibusque, moderandis pompis publicis, suscipiendis hospitibus illustribus et legatis externis, continendo in ordine ac disciplina aulico regio comitatu administrisque mensae regiae, quaeque id genus in regia sunt opus caetera, occupari solet [1]).

Archimarescallatus terrestris, licet sit, ut diximus, munus hereditarium, tantae tamen est dignitatis, ut, qui illum obit, inter regni ephoros connumeretur, et honore locoque secundus a Supremo Curiae Magistro esse amet [2]). Vocati in jus ab actore, regis quicunque ministri et aulae familiares homines ἀνέςιοι et peregrini, tenentur se ejus cognitioni sistere causamque dicere, et jus in hoc foro accipere. Condecoratur hoc munus a fecialibus sive caduceatoribus, qui ei apparere ac praesto esse jubentur.

Archicamerariatus praeest sartae tectaeque conservandae Regiae Majestati et in regni tabulario moribus introducto ordini bono ac decoro; apparitoribus ad arcessendos in jus reos, remque iudicatam exsecutioni mandandam legitime dimmittendis, possessionibus litigatoris condemnati peraequatione pro rata (*Odhad* nostri vocant) ei qui in causa est superior, addicendis. In aditu ad Regem iis, qui opus habent, procurando, illius est interventio. Ab supremo hoc munere dependet, mutuamque ei in regni tabulario — quod olim in praetorio San-Clementino fuit (locus est adverso aedis D. Virgini in Lacu sacrae), in Majori Praga iam in arce regia est — operamque praestat Vice-Camerarius, γεωδαίτης sive Decempedator, *Starosta Komorničí*, h. e. apparitorum magister, et *Komorníci*, h. e. Apparitores vel Pedelli terrae duodecim.

Jam vero Archipraetura in moderando regni tribunalis judicio supremo, rogandis concludendisque in consilio collegarum sententiis, eloquendis quae ad partes litigantes pro tribunali opus est dici, nuncupandis ad enuntianda S. C. Senatoribus, (Senatus - Consulta *Potazowé* dicuntur, semperque jubentur Barones ex Senatu duo et Eques unus ad ea promulganda consurgere) et caeteris, quae praetoriae sunt dignitatis, pro more expediundis versatur. Muneri huic esse praesto antiquitas jussit Vice-Judicem et Declamatorem, qui *Wolawčí* a veteribus vocabatur.

Archicancellariatus constitutus est conscribendis, signandis, subscribendis regiis diplomatibus, edictis, mandatis, epistolis; accipiendis legendisque quae ad Regem scribuntur; verbis plerunque nomine regio faciendis et responsis dandis, cavendo ne quid a Rege contra ius reipublicae rescribatur, edicatur. decernatur; custodiendo sanctiori illi, quo publica monumenta

---

[1]) Jus Provinc. O. 3, 9, 11. [2]) Jus Provinc. 36, 37.

et res quaevis magnae signantur, regis signo. Hoc igitur qui fungitur munere, os fere Regis est et oculus, μέγας λογοθέτης, qui aulam sectari semper et circum Regem esse debet. Permagna itaque est ejus ad Regem pariter et populum authoritas. Venit cum eo in sollicitudinis partem Pro-Cancellarius, quocum ille, Consistorii regii ac sanctioris consilii secretariis, actuariis, libellariis et quibusvis ministeriis moderatur.

Proto-Notariatus sive Primiceriatum quis vocare velit, occupatur in scriniorum et tabularum Regni sigillique terrestris fideli ac secretiore custodia, tam publicis quam privatis actis, contractibus quibusvis nominatis et innominatis, rebusque omnis generis memorabilibus, scripto comprehendendis, atque suo loco vel in minores vel in majores tabulas referendis, itemque cohibendis tabularii ministrorum populo onerosis extorsionibus. Temporibus priscis viro ille doctrinâ quam genere clariori mandabatur [1]. Sub illo sunt dicto audientes: Vice-Notarius, sigilli justitiae custos, Ingrossatores major minorque, et Tabelliones caeteri omnes seu Scribae. Vice-Notarii porro custodiae commendatum justitiae, quod diximus, sigillum, etsi *Pečeť Zemská* (Sigillum terrestre) vocatur, diversum tamen ab eo sigillo est, quod, ut regni insigne, religiosa Protonotariatus cura servatur. Etenim, praeterquam quod usus ejus in sola justitiae administratione est, repraesentat id non leonem, sed adolescentis specie sculptum gentis quondam principem S. Wenceslaum. Est imago lorica induta, gestans in capite galeam semicirculo redimitam, et in manibus, dextera quidem fasciolam super sedentis in sede viri caput, ad instar soleae sinuatam; sinistra vero vexillum (id quod, utpote lancea in ulnam innitens, amplectitur) et clypeum triquetrum, qui cono suo deorsum propendens aquilam alas expandentem ostentat. Legitur porro scriptum in semicirculo, qui galeae principis incumbit: S. Wencezlaus; in fasciola: Citat ad judicium, et in sigilli peripheria inter parallelos circulos: † S. Justicie tocius terre Sci. Wencezlai Ducis Boem.

Subcamerariatus datus est Civitatibus in consiliis Regis secretioribus adversus potentiores defendendis, Baronum Equitumve contra eas querimoniis controversiisque cognoscendis, et absque fori strepitu, quoad fieri potest, arbitrario jure componendis, mulctis civibus ob enormia delicta irrogatis ab civitatis senatu exigendis, et magistratibus annuis in urbibus regiis, pro uniuscujusque urbis consuetudine innovandis. Et quamvis munus hoc vendicet sibi Ordo Equester, liberum tamen Regi jura relinquunt, si velit aliquem ex civibus Pragae Majoris idoneum ei praeficere. Sic a Sigismundo Imp. *(ann. 1436)* Johannes

---

[1]) Andreas baro de Duba. M. S.

Cunwaldius, a Wladislao Rege *(ann. 1471)* Samuel de Hradecco Waleczovius, eo fungi olim est jussus. Quod ut in usum revocaretur et frequentaretur, nunquam Urbes regiae desinebant optare. Nam quia experientia temporum superiorum manifeste ostendit, quamvis Civium quoque Ordo pars apud nos sit reipublicae et nemo tamen ex hoc Ordine in consilium regium allegebatur, abusos persaepe loci ac muneris eminentia ex nobilitate non paucos, ad regem civitatibus, non solum parum aequos fuisse, sed et (dissimulante rem Sub-Camerario, qui ex Equitibus ut plurimum erat) nonnunquam vehementer incommodasse: eapropter credebant cum aequitatem ipsam, tum suam inprimis salutem necessario deposcere, ut in sacratiore hoc consistorio, in quo Rex plerumque non de nobilitatis tantum, sed de universae reipublicae rebus consilium solet capere, vel unum hunc ex suo Ordine habeant, qui deliberationibus publicis pariter cum nobilitate interesse et ad Regem libere, quod et quoties opus esset, de Civitatum causis querelisve referre ipse posset. Subest muneri huic vicarius, quem vocant Sub Camerariatus praefectus, et Curiae Civitatum Praetor aulicus, Scribaque Cameralis.

IV. Atque haec sunt optimatum seu primorum Regni dignitatis honoratissimae munera. Κειμηλίοις porro reipublicae, hoc est regalibus ornamentis ac privilegiis gentis custodiendis, institutus est burggraviatus Carolosteinensis. Funguntur hoc officio semper nobilitatis vetustae viri duo, Baro unus et alter Eques, qui arctissimo sicut Regi Regnoque, ita mutuo ipsi inter se devincti sacramento, non alibi quam intra regni fines esse perpetuo, domiciliumque habere tenentur. Hi quamvis pariter obstringuntur ambo ad providendum, ne quid arx Carolosteina vel quae in ea sunt recondita, detrimenti capiant, emolumenta tamen ac fructus ex ejus ditione tota (dotata videlicet est arx haec magnifice vicis et agro multo cum a Carolo fundatore primo, tum inprimis a Wilelmo Dubio de Trzebomyslicz) nonnisi ab uno, tantisper dum de vita vel functione decedat, percipi ex asse lex jubet. Usufructuario collegae praemortuo succedit demum, nemine interturbante, collega superstes, et similiter, ut decessor, quoad vivit, reditibus illis solus fruitur. Si qua alterutrius vel utriusque culpa contingat arcem hosti in manum venire vel damnum aliquod reipublicae noxium accipere, convictus de culpa, sive alteruter sive uterque capitis famaeque et bonorum amissione poenas luit [1]).

Cognoscendis vero litibus tam civilibus quam criminalibus, jurique dicundo sedet pro tribunali statis diebus tum Major tum Minor Regni-Senatus [2]), de quo plenius

---

[1]) Jus Provinc. A. 45, B. 8, 9, 15, 19. [2]) Jus Provinc. A. 35. L. 60.

dicendi alius se non ita multo post offeret locus [1]). Pecuniam reipublicae collatitiam procurant lecti semper in comitiis ex Ordinibus singulis triumviri, vulgus eos *Nejwyšší Berníky* vocat. Hi ex decretis in Ordinum conventu contributionibus, collectam ab omni populo pecuniam, ita ut comitiis frequentibus convenit, dispensant. Incolarum autem publicae securitati in territoriis districtibusque conservandae, institutae sunt Provinciales praefecturae. Singulis eas annis renovari ab Rege leges volunt et binis ex locupletioribus in unoquoque districtu incolis demandari, Baroni nempe uni et Equiti alteri, id quod sub Majum fere mensem fieri quotannis consuetudo est. Muneris hujus est usus [2]), in praecavendis periculosis viciniae malis quibusque fortuitis, in describendis necessariis defensioni plebejorum hominum telis ac armis, exercendo in armorum usu, habendaque in procinctu, opportuna adversus hostium repentinas irruptiones, selectorum ex omni numero vicinorum juventute armata, increpandis otio torpentibus [3]), in relaxandis immerito conjectis in vincula tenuioribus, abrumpendis, in repraesentando opificibus oppidanis hostimento vel operarum pretio familiaribus nobilitati tergiversationibus, in prohibenda denique vi privata hominum petulcorum omni. Imprimis vero, secundum Burggravium Supremum, pervigili cura ei est incumbendum, ut comprehendantur errones suspecti et grassatores, sistanturque cujusvis generis populationes ac latrocinia. Et certe, sicubi fuerit sive ab incendiariis, sive vastatoribu squibuscunque, facta in regnum irruptio vel vis a latronibus cuipiam illata, ita ut spolietur, saucietur, capiatur trucidetur, tum ad primam passi injuriam aut alterius spectatoris vocem, vel conclamatione, vel aeris campani pulsu, signum dari leges [4]) jubent. Quo audito, tenetur gravissima sub poena, vicinia omnis, praesertim loci dominus, quin et quisque obvius, arreptis armis accurrere, opem ferre, vim vi opponere, conjectos denique in fugam praedones, tantisper dum comprehendantur, persequi. Sin in arce aliqua, castello, oppido receptum ii habuerint nec dediti absque mora fuerint, locus a persequentibus cingitur et res omnis ad provinciae praefectos enuntiatur. Moniti illi, festinanter provinciales armant, et dum Rex ipse vel Burggravius Supremus, quid porro fieri conveniat, ex Consistorii sanctioris consilio decernat, in loci obsidione haerent. Hujus quoque olim fuerat muneris, conventus cum provincialibus pro re nata agitare et necessariis districtui suo de rebus consultationes habere; sed posteriores Reges facultatem hoc genus ipsis eripuerunt.

---

[1]) Cap. XVI. [2]) Hagecus in ann. 1442. [3]) Comit. ann. 1547. [4]) Regni Constitut. L. 16, 18, 25.

V. Haec igitur, de quibus hactenus disseruimus, sunt quae terrestria vocantur et Regno toti vendicantur, munera superiora: Rex similiter sua habet varia, dignitatis neutiquam spernendae munera. Utitur autem iis jure majestatis suo, in rebus partim seriis, partim oblectabilibus. Seriis rebus occupantur, quae desudant in justitiae administratione, in fisci regii et quae ab eo dependent, procuratione, in feudorum, quae ultra Bojemum limitem sunt, moderatione, inque ordinaria domus et corporis regii custodia. Expeditius porro obeundis muneribus his fere singulis adjuncta etiam est numerosa secretariorum, actuariorum, scribarum, viatorum, ministeriorumque caeterorum turba. Administrandae justitiae Rex consiliarios sibi arbitratu suo legit, per eosque definitis lege diebus, controversa nunc curialia, nunc cameralia negotia quaevis, juris via cognoscit ac decidit. Praesident autem tribunali consilii hujus regio directores duo diversi, quos ambos vocamus supremos: in curialibus quidem Judex Curiae, in cameralibus vero Curiae vel Palatii Magister. Fisci Regii, *Statkův stolních i komorních*, sive patrimonii agrique Regii procurationi, Praefectura Aeraria, seu ut cum vulgo loquar, Consilium Camerae est ordinatum; cui qui praesidet baro, Praesidens Camerae appellatur, habetque ex Equestri Ordine adjunctos collegas ut plurimum quinque. Horum dicto sunt audientes Fiscalis, quem Regis Procuratorem vocant, aerarii quaestor logistesque, et ditionum patrimonialium praefecti omnes, libripens, passimque in limite et urbibus, vectigalibus exigendis constituti exactores. Fisci procurationi affinis quoque est Metallicorum Magisterium supremum. Commendare hoc munus Rex per leges potest [1]) tam ex civibus quam ex nobilitate, viro bono quem rei peritum et obeundae functioni idoneum judicarit. Visitare autem is, prout opus est, tenetur auri et argenti fodinas toto regno omnes, in eaque, quae istic geruntur, diligenter inquirere, et quicquid praeter ordinem juraque fodinaria agi vel a fundi domino vel ab officinarum metallicarum hominibus peccari cognorit, emendare; compellatus ab iis quorum interest, de redimendo a fossoribus auri argentive emolumento, mature id facere, et, ut verbo dicam, omnia quae promovendae rei metallariae opportuna senserit, accurate prospicere. In ejus curae partem cum eo venit Regius monetae explorator, qui tum quae in rem viderit, eum monere, tum ne numus publicus depravetur, operam debet dare [2]). Jam vero quia multas in Germania, ideoque ultra regni sui fines, Rex Bojemus habet clientelas, feuda et beneficia, quae jam olim coronae et regibus Bojemis sunt obnoxia, iis in officio continendis

[1]) Regni Constitut. A. 47. [2]) Cap. XVIII, §. 4.

ac tuendae apud cilentes, qui ea possident, Regum et Reipublicae Bojemae majestati, instituta est[1]), quam vocant, Germanicorum Feudorum Praefectura, qua Baronemne an Equitem fungi oporteat, lis est nondum plane dicisa. Meminimus nos certe Baroni munus hoc, non Equiti, hactenus fuisse collatum. Quia vero circa bona, quae reipublicae proprietas sunt, versantur hujus muneris curae, ne quid reipublicae in fraudem a quoquam hic possit innovari, Archi-Cancellario Regni, pro more, similiter incumbit inspectio. Regiae porro domus, hoc est Arcis Pragensis, ut et Corporis Regii Custodiendi Praefectura, probatissima fide Equestris Ordinis viris semper solita est demandari, quorum ille arcis praesidiariis, hic Regis stipatoribus cum imperio praest. Verum quia a rebus seriis respirari nonnunquam et animi recreationi tempus largiri amant Reges, oblectabilibus etiam rebus procurandis officia quaedam deputarunt. Equos siquidem generosos agitare, ferasque venatu fatigare, magnates plerique omnes ponunt hac tempestate in prima oblectatione; cui rei et hominibus et instrumento multo est opus. Omnibus his scienter accurandis, habet Bojemus Rex Equitii seu Stabuli et Venationis Magisterium. Quae quod equorum, venatusque cura, cum succenturiatis omnibus occupentur, suis ipsa nominibus aperte ostendunt.

VI. Etsi vero plura adhuc variaque cubiculariorum, obsonatorum, dapiferorum, pocillatorum, astynomorum et caeterorum officia in Regis aula familiaria esse non ignoramus, quia tamen singulare nec protritum fere nihil secum trahunt, ab iis percensendis supersedere, quam minutis id genus, lectores obtundere malumus, et ad explicanda, quae in republica nostra pro officiis inferioribus habentur, transimus. Sunt autem illa praecipue continendae in disciplina plebis promiscuae multitudini, vitandis popularibus turbis, et plantandae etiam inter vulgus obscurum, concordiae inventa. Solent illa quotannis exquisitis prius ex loci cujusque incolis delectorum et ideo sacramento fere peculiari alligatorum suffragiis, a magistratu superiore oppidatim vicatimque viris famae integrae et intelligentibus conferri. Magistratus autem ille superior, qui ea confert in liberis urbibus et in regii patrimonii oppidis, est Rex (hic enim, rarius quidem per se ipse, usitatius vero per suos cum authoritate ad id pro more deputatos, hic ea solet distribuere), in caeteris loci cujusque dominus. Nam quia experientia ipsa docebat, nullum etiam minimum vicum, necdum civitatem, stare diu absque incommodo posse, nisi habeat cujus consiliis authoritateque gubernetur, eapropter sui cuique vico, cuique oppido, cuique urbi praefecti sunt antesignani

[1]) Convent. ann. 1595, 1601.

ac boni communis curatores. De iis quorum modica est potestas et ob hominum infrequentiam rarior functionis usus, vulgoque nota tenuitas, verba multa facere, res esset nihili; ea duntaxat munera seu officia, quae in oppidis urbibusque populosioribus publice ac perpetuo obtinent, et quorum non vulgaris est authoritas atque jurisdictio libet, compendio commemorare. Munus igitur praecipuum in urbibus municipiisque est, quod Senatum Civitatis vocamus, Consilium nempe in Majore Novaque Praga Octodecim-Virale, in caeteris urbibus et oppidis Duodecim-Virale, itemque Praetura. Senatus hic sive consilium armatum est tam majore, quam minore, in criminalibus pariter et civilibus causis, jurisdictione. Allegi in hoc consilium per leges nemo potest, qui non prius triennium post jus civitatis acquisitum, in civium numero transegerit, oneribus communitatis assueverit, intereaque consuetudines patrias familiariter condidicerit. Et quamvis tam in capiundis, quam in obeundis his muneribus, singulare aliquid inde a tempore, cujus non est memoria, locus fere unusquisque ex consuetudine inveterata observet: in jure tamen dicundo ubique est pro norma jus patrium municipale, quod Praga matrix amplectitur, quodque propter usum in municipiis communem *Práwo Městské* dicitur. In Senatu hoc urbico, primus quidem absque controversia ordine est, qui commodata nobis a Latinis voce *Primas et Hospodář Města* salutatur, quique in consilio omnium primus sententiam solet rogari et a multitudine omni prae aliis honorari; decernendis tamen, quoties actor instat, reorum in jus citationibus, cogendo Senatui, tractandis ordine negotiis, dirigendis consiliis, rogandis concludendisque sententiis, nominando ex collegis, ac (quod coram eo, cujus res agitur, solet fieri), ad dicendum invitando senatusconsultorum promulgatori, clavium et sigilli publici custodiae, moderatur Consul sive Civium magister. Menstruum autem saltem est apud nos, quemadmodum apud Athenienses prytaneia olim fuit, consulare hoc officium, quo in orbem defungi intra vertentem annum alii post alios ordine solent, singuli Duodecim-Viralis consilii illius Senatores. Usus magister, ut olim, ita et nuper, docuit nostros homines, unam exaequandae libertatis rationem esse, vicissitudinem imperitandi [1]), diuturnioremque hujus generis in civitatibus magistratus administrationem, sive semestrem, sive annuam, non perinde in nostra republica ut in aliis, esse civibus accommodam. Et ideo non facile fit, ut qui funguntur hoc magistratu, in legem Juliam, vel peculatus, vel residuorum, vel repetundarum magnopere possint aut ausint delinquere. Est autem tanto splendidior hujus functionis ac senatus civici dignitas, quanto urbs alia

---

[1]) Livius lib. 3.

prae alia privilegiis immunitatibusque est ornatior, amplior, populosior. Ac propterea quod quaedam, praesertim regiae, urbes, tam sunt populo abundantes, ut cognoscendis in tempore expediendisve cunctis communitatis omnis et incolarum singulorum negotiis, consules haudquaquam possint esse pares: magno illi Senatui subordinatus est Pragae Decem-Viratus, alicubi Octo-Viratus, alicubi vero Sex-Viratus. Asserendae porro a concussionibus promiscuae civium multitudini, constituti sunt seniores populi, quasi tribuni plebis, hic plures, ibi pauciores, qui si quando Senatus muneris fiducia in communitatis fraudem velit quicquam tentare, intercedant, eumque ad saniora commoneant, vel, si emendare abnuat, ad Subcamerarium Regni aut ad Regem ipsum deferant. Caeterum Praetura est alterum inter civica officia munus publicum, quod cognoscendis dirimendisque controversiis minoribus, cohibendae cuivis plebejorum proterviae, comprehendendis et in vincula compingendis male feriatis, et mandandis exequutioni concilii majoris placitis, est institutum. Gerendo autem utrique huic muneri civico, necessario serviunt publica quoque ministeria diversa; Consulatui astynomi, quaestores, aediles, notarii, actuarii, scribae, viatores; Praeturae latrunculator, commentariensis, statores, lictores, et si qui alii sunt id genus accensi.

VII. Praetor communia haec urbibus, municipiis, oppidis quibusvis munia, inter singularia referri et neutiquam silentio praeteriri est dignum Oenoptae munus, quod metallicorum oppidorum quadam, ni fallor, imitatione, Pragae *(ann. 1358)* instituit Imp. Caes. Carolus IV. et collium vitiferorum cultoribus jus reddere jussit. Vocatur munus hoc, voce non nostra, *Úřad Pergmistrský.* Conferendo gerendoque huic muneri latas a Carolo leges, illustravit atque auxit Wladislaus Rex *ann. 1497.* Collium Magister hic praecipuae est inter Seniores populi existimationis, et in coacta civitatis universitate, multitudinis omnis nomine, verba ad Senatum, aut ad quos opus est, solet facere. Hic ex Majoris Pragae Civibus, ab ejusdem urbis Senatu olim, nunc ob Novae Urbis cum Majori intempestiva jurgia, ab Regio fisci consilio legi, eique consiliarii muneris collegae octo, terni videlicet ex Veteri, terni ex Nova, et bini ex minore Praga, Senatus quique sui arbitrio, adjungi consueverunt. Institutum autem est munus hoc, cum cognoscendis coortis ob vineta litibus sicut diximus, tum curando, ne serendis apta vitibus loca suis careant cultoribus, describendis, metiendis, ab omnique venatu tutis praestandis, quotquot ubicunque circa urbem coluntur, collibus, puniendis deprehensis pendentium adhuc fructuum furibus, statuendo praeterea, quod sub hedera vaenum quis dare velit, vini cujusvis pretio, solvendaeque operariis diurnae mercedis

modo; providendo necubi pendulum vinum vel vappa per imposturam vaeneat, et ut dicamus compendio omnia, procurando, decernendo, faciendo, quicquid culturae isti vineariae viderit futurum ex usu. Circum urbem quaqua versum libera omnino est ejus jurisdictio. Caeterum, quia melior fere munerum istorum pars in publica justitiae administratione exercetur, ac propterea, quum iis respublica nostra non possit carere, plenius, quae mox habemus dicere, declarabunt, supervacaneum est in iis diutius hic immorari ac haerere.

CAPUT XV.

De Concilio seu Consistorio Regio.

I. Disserentes in superioribus [1]) partim de politico apud Bojemos regimine, partim de muneribus publicis terrestribus, diximus Regem nostrum non solere absque Regni Optimatibus, Consilioque suo, de republica ac gravioribus reipublicae negotiis quicquam statuere. De privatorum petitionibus quotidianis, querelisque quibusvis, quas absque judicii strepitu expedire est aequum, cognoscere sane potest ille solus, jubereque vel vetare arbitratu suo; plerasque tamen omnes illas ad idem suum Consistorium similiter rejicit, deque amplissimi Consilii sententia in iis quoque, quod placuit, rescribit. Poscit igitur ipsa rerum series, ut de Regio illo Consistorio seu Concilio sanctiore verba quoque faciamus. Est autem id Bojemis unicum, et a vulgo nostrate non aliter quam Cancellaria regni vocatur. Rex quidem, ne contra ipsum disputetur, abstinet fere ipse a publico hoc Concilio, more Hebraeorum regibus olim usitato, nec deliberationibus, nisi rarissime, solet interesse; quae tamen res, quo tempore sint tractandae, expendendaeque, Archi-Cancellario de more dat in mandatis. Archi-Cancellarius igitur Regis nomine, quae consulto opus sunt, in Consilio proponit, sententias rogat et actioni toti ordine patrio moderatur. Postea vero quam sententiam rogati dixerunt omnes, reversus ad Regem vel solus vel cum uno atque altero ex Optimatibus, rem ei exponit omnem, et quid fieri is velit jubeatque, mandata accipit; quae in Senatu tandem explicata, qui a secretis est actuarius, in acta diligenter refert. Datur in hoc Consistorio locus non solum Optimatibus, hoc est, iis qui terrestribus officiis supremis funguntur (quales sunt Burggravius Pragensis, Curiae-Magister supremus, Archi-Camerarius seu Magnus Regni Admissionalis, Archi-Dicastes, Scriba regni Supremus et Sub-Camerarius), sed et Senatoribus Regni indifferenter omnibus, qui tam vocati a Rege quam non

[1]) Cap. V, §. 11 et Cap. XIII, §. 2.

vocati, in Consilium, quoties libet, possunt venire, in commune consulere, interfari et quae e re publica esse censuerint, admonere. Pro-Cancellarius praeterea et Secretarius intersunt necessario deliberationibus omnibus.

II. Quoniam vero negotia, quae hic tractantur, non omnia aeque sunt ardua, ea de causa receptum jam olim usu est, ut Concilii hujus Senatus, pro re nata, alius alio cogatur frequentior, et propter eam Senatorum frequentiam vel infrequentiam, aliud hic augustius, aliud angustius concilium dici queat. In augustiore concilio illo, deliberationes de reipublicae statu, deque Regis ac populi universi necessitatibus ac salute instituuntur; quandoque etiam exemplo olim nocitura et explicatu difficilia incolarum singulorum negotia attinguntur ac disceptantur. Advocat autem, quoties opus est, augustum hoc concilium Rex ipse, excitis ad diem Senatoribus, cum iis qui Pragae per tempus sunt praesto, tum selectioribus caeteris, qui hinc inde per districtus administrandis privatis suis atque domesticis rebus intenti, domi quisque suae tempus rusticando terunt; imo, si casus id deposcat, aliquando etiam aliis ex privatorum numero, viris rerum peritis. Advocant similiter Concilium hoc magnum ac augustum regni Optimates, sed nonnisi tum, cum de Regis assensu, comitiis regni calatis, ejus cogendi illis copia est facta. Adsunt autem concilio sic coacto inter Optimates non modo Senatores regni omnes, regiique consiliarii, verum et descripti plerumque comitiorum decreto, ex privatis, nunc plures, nunc pauciores, delegati. Agitur in eo ac consultatur iis duntaxat de rebus, de quibus, exclusi tempore Ordines universi, in comitiis decernere non potuerunt et de quibus statuendi potestatem huic concilio, verbis disertis fecerunt. Ferdinando, Maximiliano, Rudolphoque regnantibus, concilium hoc legimus fuisse coactum aliquoties [1]), de publica patriae defensione, exciendoque ad bellum viritim populo omni, de recognoscendis ac regundis regni finibus, de relaxandis redimendisque sitis ultra limitem, oppignoratis Coronae latifundiis, de viis recens a finitimis manifesto accolarum incommodo in regnum apertis, emporioque salis inusitato; de monetae cudendae valore et legibus, de collatitia pecunia ex reipublicae usu prudenter dispensanda, de foederibus hereditariis cum principibus vicinis majorum exemplo renovandis, deque id genus rebus aliis.

III. In angustiore porro Regii Consistorii concilio neque tanta requiritur Senatus frequentia, neque de universae reipublicae statu consilia capiuntur. Singulorum hic, vel, ut plurimum, paucorum, pauperum pariter et opulentorum, postulata querimoniaeve, vulgariores ac quotidianae, expenduntur, et qui-

---

[1]) Comit. ann. 1545, 1557, 1569, 1575, 1585, 1586, 1596, 1604, 1610.

dem duntaxat eae, quas decidi absque fori strepitu aequitas ipsa, atque ii, quorum interest, ferant. Prodeunt ex hujus loci sanctiore concilio privilegia quaevis et concessiones regiae, investiuntur hic tam de nobilibus quam ignobilibus feudis Regum Coronaeque vasalli ac clientes quique; legati ad Reges exteros, principesve ac provincias dimittendi mandatis instruuntur; proscripti, vel aliis de causis Regis aulam judicumve tribunalia adire prohibiti, fide publica muniuntur; Regis nuntii speciales (vocantur vulgo Relatores), de citatis ad diem causaeque cognitionem extraordinariam sive in provinciale sive in regium judicium partibus controvertentibus, in impatientibus morae negotiis, de inserendis rotulandisque variis (modo ne sint de regni patrimonio) ab Rege fa:tis contractibus, de datis pupillo tutoribus vel aetatis venia, de testibus producendis, deque rebus similibus, ad tabularii custodes amandantur; eduntur denique hic Regia interdicta, edicta, decreta, rescripta cujusvis generis, quae ut de plenitudine potestatis regiae in Bojemia edi esset fas, Regum majestati a populo legibusque priscis jam olim est permissum, usuque longo receptum.

IV. Expediebantur autem Regii hujus Concilii negotia, quicquid Bojemis, Moravis, Slesis, Lusatisve Rex mandabat, olim quidem nonnisi lingua populi Bojemi vernacula vel latina populorum omnium communi, quoties cum exteris agendum constituendumque quippiam erat; provinciales etiam ipsi Slesi ac Lusati, Slavica populari, quoad maxime fieri potuit ad Bojemam dialectum conformata lingua, res suas in hoc Consistorio proponebant, et, quod plus est, legatos suos, scriptis Bojemice mandatis instruebant [1]). Stetit his moribus institutisque et floruit pacatum longissimo tempore ex ὁμογλώττοις nationibus diversis coagmentatum olim regni nostri corpus. Avorum vero memoria, postea quam Slesi, Lusatique indigenae cum hominibus peregre advenientibus commixti, peregrina, quam sua, lingua loqui maluerunt, contemptui apud eos coepit sermo ille avitus haberi, Wasser-Polacismusque vocari ac Germanicus pro eo in sacris pariter et profanis locis frequentari. Hinc nata postea quoque est, linguae Bojemorum nostrae valde pernitiosa, in sacratiore hoc Regis nostri consistorio, Expeditionis, quam Germanicam vocant, institutio. Ideoque allegebatur eam in rem ab Regni Archi-Cancellario Secretarius Germanicus, qui, quod illa lingua esset expediundum, curaret. Sed non constitit hic, nec eo contenta diu fuit hostium nostrae linguae arrogantia. Extremis namque Rudolphi II. et omnibus fere Matthiae Regum tempo-

---

[1]) Legat. Slesica ann. 1547; item Ordines Opolienses et Ratiborienses ann. 1536.

ribus *(ann. 1601, 1614, 1615, 1619)*, Pro-Cancellarium Germanum praetextibus variis tentarunt Consilio huic obtrudere Slesiae Lusatiaeque incolae; optato tamen successu hactenus novatio ista caruit.

Jam ergo quaecunque ab hujus loci Senatu conclusa regis calculo comprobantur, iis, si Bojemos Moravosve contingant, bojemice, sin Slesos, Lusatos, Cladscanos, Chebanos, Cubitensesve, germanice in scripturam redigendis, formularii sunt ordinati, qui simul ac Archi-Cancellarius vel Procancellarius vel Secretarius injunxit, ea in forma materiae convenienti describant. Valet autem ac fit authentica tum demum haec scriptura, cum non modo ab Rege, verum etiam ab Archi-Cancellario, Pro-Cancellario et Secretario propria manu est subscripta. Necesse praeterea est, ut, si in forma privilegii fuerit vel diplomatis de plena testamenti condendi potestate, aut arduo negotio quopiam alio, Regis sigillo majore seu sanctiore; sin protritis ac minutioribus de rebus caeteris, minore seu vulgatiore, signetur ac muniatur. Verbis porro mandatisque regiis sua ubique constat authoritas semper, fidesque ab omnibus habetur et honor maximus, usque adeo, ut si quis vel morem iis detrectet gerere vel in aliquo ausit derogare, impune id neutiquam sit laturus. Constare illa sibi ipsa quoque perpetuo, ac alterari, retractari aut revocari, nisi urgentissimis de causis ac exacta cum accuratione, vel solent vel possunt, ita ut (similiter quemadmodum Regium apud Medos Persasque jus fuit) ob immotam eorum firmitudinem, veteres non secus ac de oraculis proverbio locum dederint: *Králowská slowa negdau na zpátek*, hoc est: *Regis verba nescire regressum*. Utinam nihil hoc aevo sit, quamobrem diversum quis merito possit sentire! Ipse denique Regii consistorii illius locus, cum ob Regis ipsius majestatem, tum ob rerum, quae in eo tractantur, magnitudinem, multitudinem et dignitatem, sacer quodammodo est et asyli alicujus instar omnibus perquam venerabilis. Veteri autem instituto is, ubicunque Regis aula est, usitatissime vero Pragae, ut in metropoli, in arce Sancti Wenceslai regia solet designari, nec transfertur alio, nisi cum Regis aula et sonticis de causis, quales sunt grassans maligna contagione pestis et hostis bello imminentis justus metus. Liberum cuivis est, etiam tenuissimo cuique, in hoc consistorio rem suam ac animi desiderium libelli forma proponere, opemque Regis implorare. Rex quoque nisi officii atque juramenti neglecti velit accusari, concilii hujus, sicut usum intermittere ita dignitatem imminuere, prisco more prohibetur. Eapropter quemadmodum Matthiae Corvino contra Georgium Wladislaumque pro Rege se Bojemorum gerenti, Bojemicae hujus generis cancellariae usus accuratus ac dili-

gens, commendabilis olim apud Proceres Bojemos etiam post mortem, ita ejusdem vel ad breviculum tempus intermissio Wladislao Regi legitimo *(ann. 1511)* probrosa fuit, nec absque obmurmuratione ab Ordinibus dissimulari diu potuit. Intolerabile similiter majoribus videbatur, si quando Rex Bojemus aliunde quam ex Cancellaria Bojemica mandata Regia de re quacunque dabat vel potestatem regiam extra Regni limitem exercebat. Possunt curiosis esse exemplo mandata cum Johannis Regis Lucenburgica, tum Sigismundi, Wladislaique Budensia, quae authoritatis modicae apud populum fore, ejus temporis optimates palam sunt protestati. Optimatum tamen aevi recentioris conniventia, discessum in plerisque est ab illa moris prisci observantia, exceptaque legibus novis sunt perquam pauca, de quibus Rex ex potestate regia nisi intra regni fines statuere vetatur. Quae cum ita sint, nemo tam rudis poterit rerum esse aestimator, qui majorum nostrorum hac in re prudentiam non sentiat, quamque Consistorii hujus bene ordinata administratio, cum Regi ipsi sit gloriosa, tum incolarum multitudini omni fructuosa, videre non queat.

CAPUT XVI.

De tribunalibus juri dicundo in Bojemia constitutis.

I. Plus quam semel dictum a nobis est [1]) in hoc opusculo, Bojemos habere suos peculiares inde a majoribus acceptos mores, instituta, jura et leges, quibus tum a suis principibus ut homines liberi, non ut servi, moderate regi, tum, ne vaga prorsus ac infraenis videri possit libertas ista, absque obluctatione parere accurate assueverunt. Res enim ipsa visa illis est loqui, perinde ut corpora nostra sine mente, sic civitatem sine lege, neutiquam vim aliquid prudenter agendi, nedum nervis suis ac sanguine membrisque caeteris probi utendi, habere posse. Quoniam vero lingua pariter et natura a Germanorum moribus institutisque erant alieni, ideo nec forum, nec leges, nec jura cum illis voluerunt habere communia. Domi itaque sibi ipsi paulatim, accommoda gentis genio, ex longi temporis ac usus disciplina, consensu populi omnis, sanxerunt jura ac leges. Quae sane ante Przemysli principatum nullis literis comprehensae, solo usu discebantur, et, quia perpaucae erant, a judicibus memoria haud difficulter capi poterant. Emergentes temporis progressu casus varii, et homines usu multo tandem facti eruditiores, genuerunt ex legibus illis paucis alias novas, numero haud paulo plures, easque in literas retulerunt; quibus bono

---

[1]) Cap. III, §. 13 et cap. VIII, §. 3 et cap. XI, §. 5.

publico emendandis, illustrandis, explicandis, multiplicandis, ut prior, ita nec nostra haec posterior aetas, viam sibi claudi, vel segnis ac imperita videri voluit. Idem videlicet quod patribus licuit, filiis licere quoque existimabat. Libertas haec patriis moribus subnixa, nec Wladislao Regi displicuit olim, qui Ordines Bojemos, quia liberi sint, in leges suas, quod publice placuit, referendi, quod displicuit, antiquandi habere semper potestatem, alicubi [1]) est judicio maturo testatus. At quia inutiles alioquin nec vim ullam habiturae fuissent hae leges, nisi ministros illis et interpretes datos ac erecta juri cum authoritate reddendo tribunalia intelligerent reverenturque homines, pravis affectibus suis quam legibus obsequentiores: ea propter occursum malo isti in Bojemia est prudenter, magistratusque et judicia unicuique negotio sua, religioso videlicet religiosa, profano profana, sunt constituta.

II. De religiosis, quae opus videbantur, diximus jam ante [2]). Profana seu politica, similiter ut munera publica, distinguimus vulgo in superiora et inferiora. Superiora vocamus, coram quibus inprimis nobilitas, inferiora, coram quibus cives plebsque promiscua convenitur. Utraque ex jure gentis patrio, illa quidem provinciali, haec vero municipali de causis judicant; utraque moribus priscis approbatum ordinem processumque servant; utraque habentur apud omnes perquam venerabilia; utraque sunt vel ordinaria vel extraordinaria, dignitateque et authoritate alia aliis eminentiora. Sermonis alius praeterquam Bojemici usus, legibus in iis penitus est vetitus [3]). Testibus, qui generis splendore antestant vel alioquin suis familiae insignibus gaudent, in causis in quibus non de capite, fama, hereditate agitur, arbitrarium per leges est [4]) (quod tamen, Austria fortasse et Bavaria exceptis, alibi nec valet nec usum habet ullum), utrobique testimonium post denuntiationem vel oretenus vel in scriptis perhibere, dummodo quisque scripturam testimonii, non solum chirographo subscriptam claudat et sigillo proprio suo vel familiae obsignet, verum etiam per solennem scripturae adjectam clausulam (nimirum, quae sic deponit, integra ab se fide, nec ullo animae periculo deponi) verbis disertis testificetur. Quia enim experientia longa explorata est Bojemorum, praesertim nobiliorum, certa in dictis factisque fides, ideo nihil hic visum est esse, quamobrem vel fraus vel subornatio vel perjurium metueretur. Latae in judiciis hisce sententiae, praesertim cum in rem judicatam transiit, obluctari impune

---

[1]) Wladis. Reg. Decision. ann. 1502, §. 5. [2]) Cap. VI, §. 15, 17, 18. [3]) Constitut. regni, B. 32. Jus Municip. B. 8. [4]) Constitut. regni, X. 26. Jus Municip. B. 49, 50. Andr. Gail. Observ. pract. 101, num. 14, lib. 1.

nemo potest; alioquin exsequtorialia decernentur statim, et contumax, prout meruit, vel mulctabitur vel vinculis aut, si casus id deposcat, manu militari coercebitur. Rex etiam ipse, perinde ut alius quivis, tenetur in rebus controversis eorum cognitioni ac decretis stare; quo tamen in casu, ut conveniens dignitati decus honestasque observetur, in jus tum vocare tum vocari Rex nonnisi per Procuratorem suum, vetustissimo ex more consuevit. Exercendis judiciis superioribus judices, nonnisi ex nobilitate, inferioribus nonnisi ex civibus maxime idonei quique et famae integrioris viri alleguntur. Cavetur tamen utplurimum, ne in subselliis iisdem sedeat collega vel filius patris vel frater fratris. Locum in concilio tenent suo quisque ordine, illi ex aetatis familiaeque praerogativa, hi ex coryphaeorum classis suae assignatione. Uti omnes vestitu decoro et incessu viris digno jubentur [1]). Superiorum res judicatae ac decisiones ratae sunt et validae absque provocatione omni; ab inferiorum sententia provocare, exceptis facinorosis, nemo prohibetur. Cursus porro illorum neque a Rege neque ab ejus ministris impedire, nec homo quisquam, quominus jus suum via legitima persequi audeat, absterreri mandatis ullis debet [2]). Interruptus nihilo secius fuit cursus hic et conticuerunt leges pleraeque omnes ab Wenceslai Regis excessu totos octodecim, post Sigismundum e vivis sublatum totos quatuordecim plus minus annos verum iniquitas temporum illorum, non incolarum truculentia, ordinem hunc tunc conturbavit ac pervertit. Instauratus tamen is fuit, cum ab Imp. Sigismundo *(ann. 1437)*, tum a Ladislao regibus *(ann. 1454)* simulac respirasse a turbis aliquantulum respublicae est visa. Sunt porro magistratus isti ac judicum subsellia, quae dici Superiora diximus, proprie quaedam Regia, quaedam popularia seu Terrestria, ideoque capiunt jurisdictionem haec quidem a populo, illa vero a Rege. Occurrentibus causis difficilibus, quaeque altioris sunt indaginis et intricatae, habent ad Magnum Regni Senatum praesides caeterorum tribunalium omnes in definiendis dubiis recursum, ex ejusque responsis sententiam liti decidendae ferunt. Regia judicia pars ex Baronibus constant, pars ex Equitibus, eorumque numerus Regis arbitrio major esse protest vel minor; Terrestrium, ut qui legibus est definitus, non potest. Certae quoque sunt ac definitae causae, quas ab his vel illis cognosci majores voluerunt. Consulta utrorumque per consurgentes concilii collegas, Barones (ubi ex legis ordinatione ii intersunt) duos, Equitemque unum promulgari mos est; strictissimaque est ac perquam diligens hujus moris observatio.

---

[1]) Comit. ann. 1615. [2]) Comit. ann. 1575. Hagec. ann. 1250.

III. Quoniam vero causas tam horum, quam illorum cognitioni attributas, compertum est natura sua a qualitatibus, ut plurimum, alias ab aliis distare: neque Rex, neque populus tribunalia iis disceptandis erecta, indistincta relinquere diu potuit. Discrevit igitur ea quoque, post maturam disquisitionem, cum Rex, tum populus oportune. Unde regium judicium duplex in hoc regno habemus: Praetorium nempe, sive, ut vulgus loquitur, Camerale, *Saud Komorní,* et Curiale seu clientelare, *Saud Dworský.* Neutrum alibi, praeter quam in conclavi quod Viride vocatur, potest legitime peragi [1]). Onus functionis in utroque obeundae ab Rege demandatum defugere, nemini est integrum, nec nisi post exantlatos hujus loci labores annuos, renuntiare honeste muneri per leges collega quisquam potest. Etsi vero Regi cooptare pro arbitrio in hoc concilium licet judices ex nobilitate nunc plures, nunc pauciores: attamen pauciores quam Barones octo, plures quam Equestres quatuor esse, et de lite, quaecunque ea sit, nisi concilio frequenti et decem, ad minimum, collegarum praesentium suffragiis, pronunciare vetantur. Praetorio seu Camerali judicio singulis annis definitum legibus est tempus certum, quater nempe anno unoquoque, per continuos dies quatuordecim: Primum ad sextum Kalend. Februar., secundum postridie Misericordias sic vocati diei Dominici, tertium ad septimum Kalend. Septemb. et quartum ad Eidus Novembr. Moderatur illi in omnibus magnus praetorii sive palatii Magister. Disceptantur in illo actiones de calumnia sive injuria verbali non contumeliosa, ex stipulatu pro dote repetenda, pro mutuo, de mulcta, ei qui testimonium perhibere recusavit, aut ei, per quem factum est, quominus quis judicio sistatur, irroganda, de revocandis impetratis in aliorum fraudem privilegiis, vel vacantium bonorum ecclesiasticorum largitionibus, vi bonorum raptorum, vi quavis privata, et si qua sunt similia. Consumptis porro in hujus generis litium cognitione quatuordecim diebus illis, octiduum aliud superadditur, quo permotus supplicum precibus Rex, in causis moram non ferentibus, jus iis extra ordinem reddi jussit. Rex similiter ipse non raro litigantes ex conjunctis regno provinciis huic se judicio jubet sistere causamque dicere [2]). Ubi de disputatis ultro citroque id genus controversiis, nomine et authoritate regia pronuntiari tandem consuevit ac decerni. Haud absimiliter Curiale seu clientelare Regis judicium certa itidem, quibus peragatur, habet constituta tempora, quae unoquoque anno duntaxat sunt utiles dies quatuor: Utilis nempe quisque ante quatuordecim illos, qui habendo judicio Camerali sunt solennes.

---

[1]) Comit. ann. 1575. [2]) Comit. ann. 1575.

proximus. Causas in eo nullas mos est agitari alias, praeterquam de quibus aliis in locis coram paribus curiae experiri mos est, et quae clientes regios, bonaque vacantia ac controversias feudales attingunt. Praesidet huic tribunali, resque ejus moderatur Judex curiae Regiae supremus, in cujus custodia sunt tabulae, quas Aulicas seu Curiales vocant, feudorum intra regni fines sitorum descriptiones, investiturae monumentaque, et acta publica id genus omnia. Nostra adhuc memoria similibus in causis locus simili judicio fuit in Tachovo arce, sed antiquavit id de Ordinum assensu Rudolphus Rex [1]).

IV. Regiis hisci judiciis aequipollent, vel in nonnullis fortasse quodammodo antecellunt Terrestria, quae vocant, sive Regni dicasteria (plerique non propria voce provincialia appellant), a quibus nobilitas veterum Bojemorum omnis, non tantum ipsa sibi, nemine excepto, sed et principi, supremo magistratui suo, in maximis aeque ac minutioribus negotiis quibusque, quae absque fori strepitu compositionem respuerent, jus dici voluit, quaeque potestate tanta atque authoritate armavit, ut nemo e regni incolis ei se per contumaciam eximere queat. Exemplo sunt Comites Slicchii, qui cum forum hoc declinare obstinatius olim *(ann. 1505)* pergerent, bello se difficili, incommodisque gravibus involverunt. Primum inter illa est tribunal judiciorum Burggraviatus, *Saud Purkrabský,* quod et ipsum est geminum: Prius Burggraviatus Pragensis supremi, posterius Burggraviatus in provincia Hradecensi. Sedent in hoc perinde ac in illo secundum concilii omnis moderatorem Burggravium, συμβουλεῦται ex Equestri ordine ut minimum sex, cognoscuntque de quibusvis propositis in judicio et ad formulam jure praescriptam conceptis literarum contractibus, deque revocandis ex eorum contractum genere natis satisdationibus, de factis sub poena voluntaria tabulisque hujus judicii insertis obligationibus, de confusis ac illegitimis arrestationibus, de compellendo post rem judicatam creditore ad rationes de nominibus cum debitore conferendas, deque cautionibus post solutionem factam dispungendis. In provincia Hradecensi vel potius urbis dotalis primariae arce ipsa regia, erexerunt jam olim majores, in reginarum (ni fallor), maritis Regibus superstitium, dotalitiisque hisce pro aula utentium, nec in Reges successores semper bene animatarum, sive gratiam sive honorem, provincialibus incolis forum peculiare, in quo persequi jus suum actor adversus reum jubebatur. Temporis tandem progressu, factum est tribunal hoc ex tumultuario temporarioque ordinarium et perpetuum. Cognoscitur autem in eo, ex jure necdum plane descripto [2]), sed partim terrestre,

---

[1]) Comit. ann. 1608. [2]) Comit. ann. 1600.

partim consuetudinario, cum de causis paulo ante memoratis, tum etiam de factis provincialium contractibus, ex obligatione sive verbali sive chirographaria, ex stipulatu pro dote vel mutuo repetendo, de refundendis in litem expensis, tum de condictione ex delicto vis privatae cujusvis, itemque non redditi post denuntiationem fugitivi [1]), aliisque nonnullis.

Optantur porro judices in hujus loci collegia, Pragae quidem a Burggravio Pragensi supremo (a quo similiter et ipse consilii praeses arcis Pragensis Burggravius, qui minor cognominatur, legi solet), Hradecii vero ex reginae usufructuariae calculo per Regem ipsum. Judicio huic neutri, contra quam in aliis observatur, tempus certum legibus est praefixum: Burggravii, utpote Praesidis, arbitratu id, quoties et quamdiu est opus, frequentatur. Affine huic judicio Burggraviatus Pragensis, est judicium finium regundorum, *Saud mezní,* quod vetus equidem sed ambulatorium est, et ordinarium ex extraordinario demum ab Imp. Caes. Rudolpho Rege *(ann. 1600)* factum, pauloque post *(ann. 1601)* ab Ordinibus universis in publicis regni comitiis comprobatum. Regitur illud repetitis ex vetustissimo usu, similiterque nuper demum in ordinem a Jacobo Menssico redactis legibus singularibus, rigidiusculis sane illis et severioribus. Ei exercendo quoties opus est et per anni tempus licet [2]), Magnus Regni Senatus ab eo cujus fines per vicinum turbantur interpellatus, Burggravium arcis Pragensis delegat, qui junctis sibi duobus ejusdem subsellii consiliariis, excitisque praeterea ad diem ex vicina Ordinis utriusque nobilitate viris idoneis duodecim, de finibus controversis praesens pro more cognoscat, terminosque vel veteres restituat vel si illi non appareant, novos statuat. Cognitio in tentorio, quod in actoris agro finibus controversis proximo tendi lex jubet, haberi de lite solet.

V. Tribunal judiciorum terrestrium alterum est, quod Minus, *Saud Zemský menší,* vocatur. Vocatur autem minus, cum quod de minoris momenti causis cognoscit, tum quia Senatui magno praesto et imprimis optimatum regni jussis audiens esse tenetur. Sedent in illo *Uředníci Desk Zemských,* omnes ex vetustae nobilitatis equestribus, loco primo arcis Pragensis Burggravius, secundo Vice-Camerarius, tertio Pro-Praetor seu Vice-Judex, qui consiliis tribunalis hujus et actionibus omnibus moderatur, quarto Vice-Scriba, quinto Reginae mandatarius, sexto Subcamerarii legatus. Adhibetur etiam consiliis tabularum Regni minorum Scriba, qui propterea Scriba judicii minoris solet audire; verum is locum habet in cathedra, non in subselliis; notat conscribitque, quae aguntur pro tribu-

---

[1]) Regist. Burggraviatus Hradec. [2]) Comit. ann. 1585.

nali, sententiam non dicit. Inauctorantur autem ii et ad munus hoc admoventur, itemque exauctorantur ex Senatus magni sententia ab Regni Optimatibus singulis singuli: Burggravius nempe, sicut diximus, a Burggravio Pragensi supremo, Vice-Camerarius ab Archi-Camerario seu Admissionali magno, Propraetor ab Archi-Dicaste, Vice-Scriba a Proto-Notario, eodemque modo a caeteris caeteri. Frequentes quidem illi in regni tabulario officii causa utilibus quibusque diebus esse, et occurrentia quotidie fere varia interventorum negotia promovere expedireque pro more tenentur; quia tamen multiplices quoque causae veniunt hoc judicio disceptandae, anniversariis illorum sessionibus locum in Regni dicasterio, a parte Regii solii sinistra, non a dextra, lex designavit, diesque juri dicundo solennes temporibus certis distinxit. Cognitioni actionum, quibus ageretur de debito ex alio quam literarum contractu, quodque centum sexagenas Pragenses non excedit, vel de exhibendis tabulis, fidei commissis, servis mercenariisve fugitivis, de familia herciscunda, tutelae administratione, emancipationibus usurpatis, venationibus vetitis, caeterisque rei vel poenae persequutoriis, lex, inquam, his omnibus dedit post Invocavit vulgo vocatum diem dominicum, Martis, Mercurii, Jovisque; item post Pentecosten Mercurii et Jovis dies proximos, ut et pridie Kalend. Octobr. Quoniam vero in jus quoque vocatur plerumque reus, ut actori, alius sane intra trimestre, alius intra mensem, alius intra diem quartum decimum se sistat, praetereaque multorum actiones exceptionibus exclusae, quin et probationes permultas ad causas producendae, a tribunali majore huc remittuntur, vacare horum omnium cognitioni jubentur [1]) hujus subsellii judices ex cujusque anni die septimo Januar. ad vigesimum, et ex die Junii trigesimo ad Julii tercium decimum. Examinandis porro post sententiam, quacunque in causa et quocunque sive regio sive terrestri judicio latam, factis in litem expensis, statuendoque de iis parti victrici a parte victa refundendis modo, tabularum regni procurationi [2]), et aliis cum primis multis, quae consuetudine magis quam legibus nituntur, perficiendis, descripti sunt dies Mercurii post octavas Paschatis proximus, Julii quartus decimus, Novemb. septimus, et Januarii primus et vicesimus.

VI. Tertium terrestrium judiciorum tribunal, et quidem amplitudine ac dignitate omnium princeps, est judicium quod Majus vocatur, vulgo *Saud Zemský wětši.* Sedent in illo Rex in solio regio trabeatus, vel (si quis est), regni gubernator, et ad alterutrius pedes, aut quoties neque Rex neque gubernator interest, in ipso solio, gerens majestatis insigne, virgam, Burg-

[1]) Comit. ann. 1596. [2]) Hagecus in ann. 1321.

gravius regni supremus, cincti ab latere utroque optimatibus et magno regni senatu. Constabat autem magnus hic Senatus olim ex baronibus tantum, et qui soli in regno essent patriae patres et primores. Sed cum post Alberti regis fata, simultates propterea ex invidia inter barones equitesque accensae, flagrare non desinerent, quarum acerbitate rempublicam jam tum plures quam quindecim annos concuti doluerunt boni cives, iis sopiendis primus Georgius rex equites aliquot, quorum Ordo antehac pro patria arma ferre jubebatur, in ordinem hunc allegisse, et Wladislaus postea, ut perpetuo octo allegerentur, lege nova [1]) diplomateque *(ann. 1487)* cavisse legitur. Pro tribunali igitur in magno hoc archi-dicasterii senatu, ab eo tempore solent sedere ad latus Regis sinistrum ex regni optimatibus: Admissionalis magnus seu Archi-Camerarius et Archi-Dicastes, qui Ordinis hujus loci est princeps et actionum omnium arbiter. Assident illis, pars solio regio dextri, pars sinistri, per Regem ex amplissimi concilii sententia in locum hunc cooptati et idiotismo nostrate a senectute dicti *Kmeté* seu *Kmetové,* h. e. regni Senatores et συμβελεῦται; praeter Palatii Magnum Magistrum, Archi-Cancellarium, Curiae Judicem supremum et Burggravium Carolosteinensem, qui ex optimatibus regni sunt, et locum, more ob dignitatem muneris quisque sui jam fere consueto, habere a Rege jubentur in hoc Senatu, Barones octo; itemque praeter regni Sub-Camerarium, Carolosteinensemque alterum et Hradecensem Burggravios, equestres viri quinque, aetate omnes et gravitate spectatissimi. Regni Mareschallus, Rege praesente, cum ense districto stat propter solium, absente proximus a magno Palatii Magistro locum ad latus dextrum capit. Archigrammateus cum tabulis sedet in cathedra. Sessionibus in hoc judicio habendis, causisque via juris disceptandis, dies stati, iique ter unoquoque anno, sunt constituti: Primum a die Veneris post Invocavit, sic vocatum diem dominicum proximo, per dies quatuordecim continuos; secundum a proximo post Pentecostem similiter Veneris die, per dies totidem; tertium a Kalendis ipsis usque ad pridie Eidus Octobr. Post dies illos dari lex jussit semper pupillis viduisque dies quatuor proximos, in quibus solae illorum causae, ut quas nefas esset protelare, disceptentur ac cognoscantur. Vendicant autem leges tribunali huic soli cognitionem de nobilis cujusque capite, fama et fortunis hereditatibusque; de injuriis contumeliae atrocis, termino moto, violentia quovis modo exorbitante, obligationibus hypothecariis, purgationibus a crimine, per supplicio ultimo affectos objecto; et, quod palmarium est,

[1]) Jus provinc. A. 35.

absolutam cognitionem de quodvis genus litibus a caeterorum judicum tribunalibus, sive ob Regis iter longinquum et a regno absentiam, sive propter nodos difficulter solubiles, huc remissis et indecisis. Senatus hujus ἀριπρεπεςάτε consultum de causa quavis publica privatave semel factum, resque judicatae omnes neque sub incudem revocari, neque in concilio Regis privato vel alio, ullo modo retractari per leges possunt [1].

VII. Restat adhuc, ut post usitata haec atque ordinaria regni judicia superiora, de extraordinario, quod unum est et a cujus fere usu jam in plerisque est recessum, verba breviter faciamus. Vocatur id, quia a provinciarum praefectis est peragendum, *Saud krajských hejtmanów;* veterum nostrorum vulgo *Saud cúdní,* h. e. judicium territoriale vocabatur. Sessitabant enim in eo olim cum praefecto, praecipui aliquot ex cujusque cudae, i. e. territorii nobilitate sapientes. Nunc jam duumvirale saltem est et authoritate multo quam olim tenuius. Neque locum illi ordinarium nec tempus certum placuit designari. Convenitur eo vocatus in jus, in alterutrius provincialis praefecti domo, parsque, quae in causa cecidit, quoties gravatam se ejus sententia arbitratur [2], habet querelae in Regio Camerae judicio instituendae potestatem, quod re plenius examinata, prout aequum videbitur, statuet. Subjiciuntur huic judicio controversiae non adeo multae, quales sunt ob conjectum inique in vincula neque petenti domino relaxatum; itemque ob quovis modo receptum fugitivum hominem; legibus irrogatae mulctae persequutio [3]; ob non exhibitum convictum de vetitis in agro regio agitatis venationibus, colonum rusticanum edita adversus dominum actio; ob negatum opificibus urbanis operae pretium vel mercenariis hostimentum condictio; exortae propter mineralium fodinas ob denegata post oblatum pretium justum apta aedificando ligna, inter fundi dominum fossoresque offensae; et, si qua sunt similia, quae coram provinciae cujusque praefectis disceptari, diserta legum verba jubent.

VIII. Loquuti ergo hactenus de judicum tribunalibus superioribus, loquamur sub hujus loci finem, oratione breviter repetita, de inferioribus seu (utamur hoc patrum verbo) de civitatensibus. Erigi illa coeperunt Mnatae principis aevo [4], posteaque sensim cum civitatibus creverunt, et sicut olim dicebant, ita nunc quoque ordinis sui hominibus ac plebi promiscue, quin et nobilitati quandoque, in casibus certis jus dicunt. Vocantur autem in hoc judicium, descriptoque legibus et recepto ordine disceptantur ac deciduntur causae sine discri-

---

[1]) Comit. ann. 1575. [2]) Jus provinc. R. 16. [3]) Jus provinc. R. 14, T. 2, X. 13, V. 4. [4]) Hagec. ad ann. 791, 836.

mine quaevis, cum civiles tum criminales, editur ab actore actio, decernuntur ab judice processus necessarii, citatur ad tribunal adversarius, libellus producitur, litis fit contestatio, probationes a litigantibus causaeque merita allegantur, disputantur, concluduntur, ultimoque tandem judicium lata ab judice sententia finitur. Tractantur autem haec judicia, ordinaria quidem, passim in singulis regni urbibus, oppidis, municipiis. Consul videlicet cum senatu suo, itemque caeteri (qui consulari collegio alicubi subordinantur) subselliorum minorum judices, in senaculo, consecrato nempe habendo senatui loco, tenentur frequentes, prout populosa est civitas et loci fert consuetudo, vel semel in unaquaque hebdomade vel alternis diebus et quotidie adesse et justitiae petentibus administrandae vacare.

Ea vero quae sunt extraordinaria in actoris, ut plurimum, peraguntur domicilio vel agro. De ordinariis (praeterquam de montensi et mangonario, quod aliis scientioribus explicandum relinquo), egimus jam ante loco alio [1]; extraordinaria quaedam etiam in usu quamvis rariore, in usu tamen esse observamus, qualia sunt *Saud hraničný* seu judicium corrogatum, et *Saud mlynařský,* judicium ripense. Judicium corrogatum ex eo vocamus, quod actor cum adversario, quem in potestate habet ob causam delicti jure experturus, judices ex diversis tribunalibus ad cognitionem privatim in domo sua instituendam corrogare consuevit. Qui de causa cogituri, non capiunt in sessionibus loca, concivis post concivem, sed pro cujusque tribunalis, a quo mittuntur, dignitate, singuli alternatim alius post alium, et vicissim singuli, cum notario jurato, considere sententiamque rogati dicere ex more solent. Et quamvis juri magis est consentaneum, ut coram ordinario tribunalis proximi judice jus suum actor ille persequatur, si tamen causas, quamobrem secus fieri oporteat, idoneas judicibus rogatis demonstraverit, judicesque juris reddendi causa ad ejus domum convenerint, accurate est danda opera, ut et in disceptando cognoscendoque processus legitimi serventur [2], et quae ab utraque parte pro causa fuerint vel dicta vel producta, ordine describantur, legantur, expendantur, definiantur, custodiantur.

Jus ripense cognomentum ex eo sortitur, quod in eo de fluminum eluvionibus, alluvionibus, molendinis, pontibus, aquaeductibus, derivationibus, sepimentis immissuris, operibusque aquaticis caeteris, in finitimorum injuriam factis, cognosci statuique consuetudo est. Adhibentur huic judicio adstricti sacramento speciali, molitores Pragenses, et de causis id genus ex opificii, quod tractant, disciplina, experientia, consuetudinario

---

[1]) Cap. XIII, §. 6. [2]) Jus civit. A. 43.

jure suo et majorum judicatis, in loco ubi innovatum quod est, quod aequum videtur, pronuntiant. Sententia nihilominus judiciorum cujusvis generis inferiorum lata de causa non criminali, non transit in rem judicatam, nisi litigantes ei vel verbis expressis vel duorum et quadraginta dierum silentio acquiescant.

IX. Quoniam vero experientia docuit, judices horum locorum in definiendo nonnunquam per imprudentiam labi ac propterea partem controvertentium, vel utramque vel alterutram eorum sententia gravari: ideo jam olim introducta consuetudine est a judicio uno ad aliud provocatio. Fuit itaque apud majores mos, ut ex civitatibus regni plerisque omnibus, a domesticorum judicum sententia ad tribunal Senatus Pragae Majoris appellaretur, paucae tantummodo civitates, ut Litomierciczae, Launa, Slana, Nymburgum, Ostia cis-Albina, cum oppidis vicinis, ad tribunal Scabinorum Magdeburgensium appellabant. Post cladem demum, quam belli Smalcaldici occasione Bojemia accepit, Ferdinandus rex, ut Pragensium sive authoritati obrogaret sive (quemadmodum ajebat) fastum nimium retunderet, Appellationum tribunal *(ann. 1548)* in Regia arce sua Pragensi primus excitavit, ad quod non modo, ut antehac ad Senatum Pragensem ex civitatibus illis plerisque, sed ex cunctis etiam unitis coronae Bojemicae provinciis provocationes fierent. Collocavit in eo judices tres ex Baronum, tres ex Equestrium ordine, quatuor ex juris doctoribus, et quatuor ex Veteris Novaeque Pragae civibus. Est hactenus in usu Ferdinandea isthaec sanctio, et sedent pro tribunali id genus provocationibus cognoscendis constituti judices, qui impugnatas a provocantibus sententias ad juris normam examinant ac vel confirmant judicio suo vel reformant. Provocare prohibenti vel provocando judicibus convitium facienti, quinquaginta aureorum mulcta est constituta. Valet autem Ferdinandei hujus tribunalis judicium et ratum est ubique, praeterquam in iis causis, quibus de capite, fama vel hereditate agitur, in quibus ab hoc quoque tribunali permissa cuique est supplicationis provocatoriae Regi offerendae, deque judicii vel iniquitate vel nullitate modeste querendi licentia. Cui supplicationi cum delatum ab Rege est, remittitur ea cum causae actis omnibus ad tribunal Regii judicii Camerale, ibique tandem post examen accuratum decisione ultima finitur, exsequutioni a primo litis cognitore quam primum mandanda. Sola ripensium judicum sententia, cum iniqua parti damnatae est visa, ad Minoris judicii terrestris subsellia rejicitur.

Evidentius igitur est, quam ut possit negari, Bojemiae regnum, sicut optimis legibus est institutum, ita esse judiciorum cum aequitate, tum ordine accurato inprimis commendabile.